

BIBLIOTHEQUE
MUSEUM DE DRECHT
PL. 10

VI
VI
VI







71611

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA

Sala 1a

Estante 49 48

Plúteo 3



D. IOANNIS
FERI, SVMMI TEM-
PLI MOGVNTINENSIS CON-
cionatoris, de filij prodigi parabola, con-
ciones eruditissimæ: tempore Qua-
dragesimali atque Pascha ab
eodem recitata.

*HIS ACCESSERVNT EIVS-
dem, & alie tres, in prouinciali sy-
nodo Moguntinensi de-
clamata.*



LVGDVNI,
Apud Gulielmum Rouillium,
sub scuto Veneto.

1557.



D. AVGVSTINI DE
POENITENTIA FRA-
GMENTVM LONGE UTILIS.

*simum, subsequētibz propter
materie affinitatem
connexum.*



ITA humana quantalibet præpol-
leat fecunditate iustitiæ, sine pec-
catorum remissione tamen non
agitur. Quoniam filij Dei quan-
diu mortaliter viuunt, cum morte
confligunt, & sic spiritu Dei excitantur, & tan-
quàm filij Dei proficiunt ad Deum, vt etiam spi-
ritu sancto, adgrauante corruptibili corpore
tanquam filij hominis, in quibusdam motibus
deficiant ad seipsos, & ideo peccent. Interest
quidem quantum, neque enim quia peccatum
est omne crimen, ideo crimen est etiam omne
peccatum. Itaque sanctorum vitam quandiu in
hac morte viuunt, inueniri posse dicimus sine
crimine. Vnde Apostolus eligendum dicit epi-
scopum, si quis sine crimine est. Peccatum au-
tem si dixerimus quia non habemus, ait alius
Apostolus, nos ipsos seducimus, & veritas in
nobis non est. Sed neq; de ipsis criminibus quam-

libet magnis in sancta ecclesia remittendis Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam, secundum modum cuiusque peccati. In actione autem pœnitentiæ vbi tale commissum est, vt is qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum, Deus non spernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec ad aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia signa procedit, cum sit coram illo cui dicitur: Gemitus meus à te non est absconditus, rectè constituuntur ab his qui ecclesiis præsent, tempora pœnitentiæ, vt satisfiat etiam ecclesiæ in qua remittuntur ipsa peccata, extra eam quippe non remittuntur. Ergo cum tanta est plaga peccati, atque impietas morbi, vt medicamenta corporis & sanguinis domini differenda sint, autoritate antistitis debet se quisque ab altario remouere ad agendam pœnitentiam, & eadem autoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere corpus & sanguinem Domini, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Nam & ipsa pœnitentia quando digna causa est, vt secundum morem ecclesiæ agatur, plerumque infirmitate non agitur, quia & pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio quàm iustitia, qua se quisque humiliat pœnitendo. Vnde non solum cum agitur pœnitentia, verùm etiam vt agatur, Dei misericordia est necessaria. Alioquin non diceret Apostolus de quibusdam: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam. Et vt

Petrus

Ve satisfiat ecclesia.

Quid retriberet à publica pœnitentia.

Petrus amarè fletet, præmisit Euangelista & ait: Respexit eum dominus. Iudicet ergo seipsum homo voluntate dum potest, & mores conuertat in melius, ne cum iam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur. Et cum in se protulerit seuerissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in ecclesia clauis ministrantur, & tanquàm bonus incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito à præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, & supplex. Id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum, vt si peccatum eius non solum in graue eius malum, sed etiam in tanto scandalo aliorum est atque hoc expedire vtilitati ecclesiæ videtur ac plebis, agere pœnitentiam non recuset. Non resistat, ne lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit semper: Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quid enim infelicius, quid peruersius quàm de ipso vulnere quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura plus erubescere? Nemo arbitretur propterea se consilium salubre huius pœnitentiæ debere contemnere, quia multos forte aduertit, & nouit ad sacramenta altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, vt Petrus: multi tolerantur, vt ludas: multi nesciuntur donec veniet dominus & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis. Nam plerique propterea nolunt alios accusare, quia se per illos cupiunt ex-

Et hæc prima causa fuit instituenda publica satisfactio, siue pœnitentia.

cufare. Plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe destituuntur, ut ea quæ ipsi sciunt, iudicibus ecclesiasticis probari possint. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen iudici facile credenda sunt, nisi certis indicibus demonstrantur. Nos verò à communione quenquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut aliquo siue seculari, siue ecclesiastico iudicio accusatum atque conuictum. Quis enim sibi vtrumque audet assumere, ut cuiquam ipse sit, & accusator & iudex? Non enim temerè & quomodolibet, sed per iudicium ab ecclesiæ communione separandi sunt mali, ut si per iudicium auferri non possint, tolerantur potius velut palea cum tritico vsque ad vltimum ventilabrum, vel pisces mali cum bonis, vsque ad segregationem quæ futura est in littore, hoc est, in fine seculi. Plerique autem attendunt multos etiam in ipsis honoribus ecclesiasticis præpositorum & ministrorum, non congruenter vivere sermonibus & sacramentis quæ per eos populis ministrantur. O miseros homines qui eos intuendo Christi obliuiscuntur, qui & tanto ante prædixit, ut legi Dei potius obtemperent, quam imitandi videantur illi, quia quæ dicunt non faciunt. Et traditorem suum tolerans vsque in finem, etiam ad euangelizandum cum cæteris misit. **Quinam** hominum erit, qui sibi manendum existimet in itinere, cum viderit, miliaria lapidea literis plena, viam docere & non ambulare? Fortasse

Quos olim
 excommunicavit
 carit eccle-
 sia.
 Iudicium.

Alterū quod
 retraherat
 quosdam ab
 agenda pu-
 blica pan-
 tetia.
 Statue
 Mercuria-
 les.

talse alius dicat: Ego iam baptizatus in Christo, quod mihi omnia præterita peccata dimissa sunt. Vilis factus sum nimis, iterans vias meas, & canis horribilis oculis Dei conuersus ad vomitū suum, quod abibo à spiritu eius, & à facie eius quod fugiā? **Quo** frater nisi ad eius misericordiam pœnitendo, cuius potestatem peccando contempseras. Nemo enim rectè fugit ab illo, nisi ad illum, ab eius seueritate ad eius bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem, vbi eius præsentia non inueniat? Si ascenderis in cœlum, ibi est: si descenderis in infernum adest. Recipe ergo pennas tuas in directum, & habita in spe. In extremo huius seculi. Etenim illuc manus sua perducet te, & perducet te dextera sua. Quicquid enim fecerit, quæcūq; peccaueris, adhuc in hac vita es, vnde omnino si sanare noller, auferret. Cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiā te adducit? **Qui** enim clamando non tibi persuasit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas. Sed non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat domino, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus elemosynis: Beati misericordes, quoniam ipsis miserabitur Deus. Non enim dictum est, ut tantum abstineamus à peccatis, sed & de præteritis (inquit) deprecare dominum, ut tibi dimittantur. Oporteret igitur ad pœnitentiā accedere cum omni fiducia, & ex fide credere indubitanter, pœnitentiā aboleri posse peccata, etiam si in vltimo vitæ spiritu admissorum pœniteat, & publica la-

Amplectē-
 da miseri-
 cordia.

Satisfactio
 pro perpe-
 tratis crimi-
 nibus.

Ex lib. do-
 gmatū ec-
 clesiastico-
 rum.

mentatione peccata prodantur, quia propositum Dei quo decreuit saluare quod perierat, stat immobile. Et ideo quia voluntas eius non mutatur, siue emendatione vitæ, si tempus conceditur, siue supplici confessione, si continuò vita exceditur, venia peccatorum fideliter præsumatur, ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & saluatus miseratione domini viuat. Sed fac incertum esse, vtrum ignoscat Deus, quid perdit homo cum supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitauit, cum offenderet Deum? Quis enim certus est etiam quod Imperator ignoscat? & tamen pecunia funditur, maria transeuntur, procellarum incerta subeuntur, & vt mors vitetur, penè mors ipsa suscipitur, supplicatur deinde per homines homini. Sine dubitatione fiunt ista, cum sit dubium quo fine proueniant. Et tamen certiores sunt clauis ecclesiæ, quàm corda regum: quibus clauibus quodcunque in terra soluitur, etiam in cœlo solutum promittitur. Et multo honestior est humilitas, qua se quisque humiliat ecclesiæ Dei: & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur. Hæc dicta sunt de publica satisfactione, qua quisque humiliando se non solû coram Deo, sed etiam coram ecclesiâ, quæ habet clauis regni cœlorum, in qua fit remissio peccatorum, ad arbitrium antistitis satisfacere debet. Sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus. Sed mutato prius seculari habitu, indefesso religionis studio, per vitæ correctionem & iugimò

Clauis ecclesiæ.

Secreta satisfactio.

imò perpetuo luctu, miserante Deo. Ita duntaxat, vt contraria pro his quæ pœnitet, agat. De quotidianis autem leuibûsque peccatis, siue quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum est enim dicere: Pater noster qui es in cœlis, quia iam tali patre regenerati sunt, ex aqua & spiritu. Delet omnino hæc oratio dominica quotidiana peccata. Delet & illa à quibus vita fidelium etiam scelerata gesta à se pœnitendo in melius mutata discedit, si quemadmodum veraciter dicitur, Dimitte nobis debita nostra, quoniam non desunt quæ dimittantur, ita veraciter dicitur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, id est, fiat quod dicitur, quia & ipsa eleemosyna est, veniam homini petenti ignoscere. Ac per hoc ad omnia quæ vtili misericordia fiunt, valet quod dominus ait: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Non solum ergo qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægroto vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quodcunque necessarium est indigenti: verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat. Et qui emendat verberere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, & tamè peccatum eius quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, id est, orat vt ei dimittatur non solum in eo quod dimittit atque orat, verum-

Venalia peccata. Per orationem dominicam etiam crimina peccanti remittuntur.

Ignoscetia eleemosyna genus.

Castigatio, eleemosyna

etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur iniustis, quando eorum consulitur vtilitati non voluntati. Multa itaque sunt genera eleemosynarũ, quæ cum facimus adiuuamur, vt dimittantur peccata nostra, sed ea nihil est maius, quæ ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit. Quisquis autem roganti & pœnitenti ex corde non dimittit, nullo modo existimet à Deo sua peccata dimitti.

Quæ sint autem leuia, quæ graua peccata, non humano, sed diuino sunt pœsanda iudicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque apostolis ignoscendo fuisse concessa, quale illud est quod venerabilis Paulus coniugibus ait: Nolite fraudare inuicẽ, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertamini in id ipsum, ne tentet vos faranas propter incontinentiam vestram. Quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet coniugi non filiorũ procreandorum causa (quod bonum est nuptiale) sed carnalis etiam voluptatis: vt fornicationes siue adulterium, siue cuiusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quod potest tentante farana libido pertrahere, incontinentium deuitet infirmitas. Posset ergo, vt dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: Hoc autem dixi secundum veniam, non secundum imperium. Quis autem iam neget esse peccatum, cum dari veniam facientibus apostolica autoritas fateatur? Tale quiddam est, vbi dicit: Iam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis vobiscum. Quare non magis

iniq

quitatem patimini? quare non potius fraudamini? (vt ad illud redeatur, quod Dominus ait: Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium. Et alio loco: Qui auferit quæ tua sunt, ne reperas. Prohibuit itaque suos Apostolos de secularibus rebus, cum aliis habere iudicium: quod dicit esse delictum. Et tamen cum finit in ecclesia iudicia talia finiri, inter fratres fratribus iudicantibus, extra ecclesiam verò terribiliter vetat, manifestum est, etiam hîc quod secundum veniam concedatur infirmis. Sunt autem quædã, quæ leuissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentẽ fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret? Aut quis existimaret, quàm magnum peccatum sit, dies obseruare & menses, & annos, & tẽpora, sicut obseruãt qui certis diebus, siue mensibus, siue annis volunt aut nolũt aliquid inchoare: eò quod secundum vanas doctrinashominũ fausta vel infausta existimẽt tempora, nisi magnitudinẽ ex timore Apostoli pœsaremus, qui talibus ait: Timeo vos, ne fortẽ sine causa laborauerim in vobis. Quàm multa sunt alia peccata, siue in loquẽdo de rebus & negotiis alienis, quæ nõ ad te pertinent, siue in vanis cachinnationibus, cum scriptum sit: Stultus in risu exaltat vocem suam, sapiens autẽ vix tacitẽ ridebit. Siue in ipsis efcis quæ ad necessitatẽ sustentandæ huius vite præparãtur, auidior atq; immoderatio appetitus: siue in vèdẽdis & emẽdis rebus caritatis & vilitatis vota peruersa. Propter hæc & huiusmodi peccata, & alia, licet his minora, quæ

qua fuit verborum & cogitationum offensionibus, a-
 postolo Iacobo confitente ac dicente: In multis enim
 offendimus omnes, oportet quotidie crebroque
 oremus dominum, atque dicamus: Dimitte nobis
 debita nostra. Nec in eo quod sequitur, mentiamur:
 Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.
 Pro quibus etiam sacrificia, & elemosynarum & ieiuniorum quisque pro suis viribus offerre non cesset.
 Ceterum pro illis peccatis quae legis decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: Quonia qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, illa actio poenitentiae subeunda est, in qua maiorem in se quisque, seu ritatem debet exhibere, ut a seipso iudicatus non iudicetur a domino. Quae actio poenitentiae tunc erit perfecta & Deo acceptabilis, si ascenderit homo aduersum se tribunal mentis suae, & constituerit se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat, sicut comminatur Deus peccatori. Atque ita constituto in corde iudicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde sanguis animae confitentis per lachrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis domini. Versetur ante oculos imago futuri iudicii, cum alij accedunt ad altare Dei, ipse vero non accedit, cogitet quam sit contremiscenda illa poena, qua percipientibus aliis vitam aeternam, alij in mortem precipitantur aeternam. Mensuram autem temporis in agenda poenitentia idcirco non satis attente praefigunt canones pro vno quoque crimine, sed magis in arbitrio antistitis relinquendum statuunt: quia apud dominum non
 tam

Peccata ad
 uersus decem
 praecepta.
 Modus seu
 rioris poeni-
 tentiae.

tam valet mensura temporis, quam doloris, nec abstinencia tantum ciborum, sed mortificatio potius vitiorum. Propter quod tempora poenitentiae fide & conuersatione penitus abbrevianda praecipunt, & negligentia protelanda. Exstant tamen pro quibusdam culpis modi poenitentiae impositi, iuxta quos cetera perpendenda sunt culpa, cum sit facile per eosdem modos vindictam & censuram canonum aestimare.

*

FINIS.





DE FILIO PRODIGI
GO PRAEFATIO, ET

prima concio, in die Cinerum habita, Anno

M.C.XLVII.



QVOD hoc tempore, à die Cinerum ad festum Paschatis vsque, in sancta Christiana Ecclesia, plus opere & diligentia adhibeatur in praedicando & exhortando: quam reliquis anni temporibus, non propterea fieri quis existimet, nec ita à nobis Christianis accipi debet, quasi tempus istud praestet & sanctius per se sit aliis temporibus. Nequaquam. Nobis enim Christianis omnia tempora, omnes dies phani esse debent: omnes dies perinde nobis valere debent, ac dies Ieiunij, Parasceues, & Paschatis. Quemadmodum luculenter satis Esaias praedixit futurum in Nouo Testamento: Et erit (inquit) mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato. Quod alibi quoque innuit, ubi ait: Et venient redempti à Domino, convertentur, & venient in Sion, hoc est, in Christianam Ecclesiam cum laude, & laetitia sempiterna super caput eorum: gaudium & laetitiam obtinebunt.

Frequentiores idcirco ac seueriores nunc fiunt exhortationes,

exhortationes, quòd Christianam doctrinam docendo, ad eam denique partem deuentum sit, quae homini carnalia amanti, veteri Adamo, corruptae ac peruersae nostrae naturae omnium difficilissime persuaderi potest. Quanam illa est? Pœnitentia est, praeter quam quicquid per totum annum predicatur, id omne mollius auribus sonat. Nulla herba est tam amara, cuius amaritudinem non superet pœnitentia, cuius saporem Adami palatum horret, fugitque quam longissimè, & quam diu liceat. In Paradiso incoepit, quod necdum cessat facere, idque in nobis ipsius natis apparet, quantum difficultate ad pœnitentiam adducamur, etiam in extremo mortis articulo periclitantes, nulla spe vitae relicta, & vt vulgò dici solet, alterum pedem in scapha Charontis habentes, & iam propemodum ad iudicium Dei comparituri. Sed forte scire cupis, cur vsque adeò nobis odiosa sit pœnitentia? Ideò haud dubiè, quia timemus, ne prohibeamur ab iis, quibus irritare Deum haecenus nobis voluptati fuit. Quapropter certum est, & luce clarius, Ducem belli, longè citius posse cogere iustum exercitum, & militem innumerum ad pugnam committendam aut expugnandam: urbem (quod tamen sit non sine ingenti vitae discrimine) quam verbi diuini praconem, vel decem solum homines ad pœnitentiae praedicationem posset adducere, ubi non solum periculi nihil est, sed summa quoque inde speranda utilitas & salus.

Nihil non excogitamus omnesque elabendi vias quaerimus, vt saltem pœnitentiae effugiamus nece

Gen. 3. b

necessitatem. Alius sola fide nititur, alius ex sententia aliqua sacrae scripturae defensionem sibi parat, quam tamen sinistrè intelligit. Sed friuola illa est & inanis tergiuersandi ratio.

Fides nostra habet, quòd in Christiana Ecclesia remissio sit peccatorum, quam & duraturam credimus, donec mundi machina substiterit. Quæ res sola nobis solatio est maximo. Nisi enim tanta Ecclesie esset autoritas, vt peccata condonare posset, quis non desperaret omni auxilio destitutus, quandoquidem nemo nostrum est, qui post baptismum, non iterum nocentem se faciat? Peccatores nos negare non possumus, aut (vt Ioannes inquit) ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

1. Ioan. 1. d

Verùm nemini remissio peccatorum contingere potest, nisi præmissa pœnitentia. Quoniam sic scriptum est (inquit Christus) & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicare in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Si-

Act. 2. f

militer Petrus: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Huic astipulatur quoque Ioannes: Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra. Quoniam verò pœnitentia vna pars sit ex iis, quæ ad doctrinam Christianam pertinent, & quæ in Ecclesia Christiana prædicari debet, iuxta verba Christi: imò quoniam ipsemet pœnitentiam prædicarit, & prædicationem suam

Matth. 4. c

à pœ

à pœnitentia sit exorsus, nec peccatorum remissionem consequendi alia sit ratio, quàm per pœnitentiam: necessum est omninò, eam certum & præscriptum habere tempus, quo & tractari & exerceri possit, non minus, quàm alia Christiana doctrina partes: nec ibi Dei aut Christi Ecclesiam esse, vbi de pœnitentia prædicatio non habeat locum.

Quis autem locus, quòdve tempus de pœnitentia prædicationi aptius esse potest, quàm id quod est ante passionem & resurrectionem Christi? Nam omnis nostra pœnitentia in Christi passionem veluti scopum dirigenda est: ex qua etiam vim suam accipit. Præterea nihil animos nostros, dum pœnitentiam agimus confirmare magis potest, quàm quòd cum Christo per pœnitentiam peccatorum morientibus, lata promissa sit resurrectio.

Hac nempe de causa, in Christiana Ecclesia istud ipsum tempus ante passionem & Pascha ad prædicandam pœnitentiam visum est aptissimum.

Porrò, quòd non vnum aut alterum tatum, nec tres aut plures dies, sed sex integras septimanas & ad pœnitentiæ prædicationem vsurpemus, ideo fit, quòd hæc ceteris Christiana doctrina partibus, difficilius percipiatur, vt supra admonui, atque eam ob causam accidit, cur hæc de pœnitentia pars tanto studio vrgeatur, nò verbis solù, verùm externis etià quibusdã signis & caremoniis. Quæ tamè omnia (proh dolor) parum proficiunt apud huius ætatis homines: vnde colligere facillè licet, quid tum futurum esset, si nunquam pœnitentiæ

b

fieret mentio. Atque quidem modestia, pietas & sanctimonia, vel potius leuitas, impietas & peruersitas vitæ nostræ, quam nunc ducimus, satis loquitur, qui fructus proueniant, si gratiam semper, nunquam verò pœnitentiam in ore habeamus. O infelices illos, quicunque plausibili sua prædicatione occasionem & ansam dedere, quòd genus humanum ad tantam leuitatem impietatemque declinarit. Sapientius profectò maiores nostri rem considerarunt, qui gratiam quidem annuntiandam putauerunt, sed ita, ne pœnitentiæ obliuiscerentur, & suum cuique tempus attribuerent.

Hoc illud tempus est, quod pœnitentiæ studio transigebant, & vestigia, quæ adhuc extant, ostendunt nobis, quàm non solù seuera, sed Christiana quoq; illorum de pœnitentia fuerit doctrina, quam primò aggrediebantur cum summa humilitate, capita sua cinere conspergentes. Deinde cum modesta peccatorum confessione: Peccauimus cū patribus nostris, &c. Tertio intima oratio ne: Exaudi nos Domine (cum Dauide inquietus) quoniam benigna est misericordia tua, &c. Quarto hæc omnia faciebant vera fide & constanti fiducia erga misericordiam Dei, Domine (dicebant) misereris omniū, & nihil odisti eorū, quæ fecisti, &c. Postremò piam concipiebant mentē, ad emendationem in melius mutuo sese cohortatus,

En ad hunc modum pœnitentiæ prædicationem in Ecclesia incipi moris erat, dato per hoc omnibus concionatoribus exēplo, vt hunc morē continuent, & simili seueritate pœnitentiæ prædicationē ad

ad vmbilicum vsque (vt dici solet) perducant.

Quod exemplum & ego proposui imitari, & per totam Quadragesimā, vt hactenus consueui, omnem meam prædicationem ita instituere, vt vel semel pœnitentiam rectè aggrediamur, postquam in dies magis ac magis experimur, Deum peccatis nostris offensum esse grauissimè, nec nobis præter certā perniciem tam temporalē, quàm spiritualem & æternam expectandam, nisi per pœnitentiam nobis adhuc spirantibus, Dei mitigetur ira & indignatio. Nam hoc sibi vult id, quod Christus dixit: Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Vt autem occasionem eò maiorem habeam, & fundamentum solidius dicendi de pœnitentia, referam sermonem meum ad parabolam illam seu similitudinem, quam Christus recensuit de filio prodigo, arbitratus, solam illam similitudinem posse indicare, quid pœnitentia sit. Siquidem luculenter nobis in ea parabola demonstratū est, qualis peccatoris sit conditio, quamdiu in peccatorum sentina iacet immersus, quæ sit peccati & lapsus origo, quod sit ad respiscendum initium, vnde petendum auxilium, quibus modis gratia impetranda, quæ fiducia in Deum habenda, & quid tandem emolumentum inde percipiatur.

Quæ omnia (inquam) clarissimè conspiciuntur in hac parabola. Præterea non tantum nobis ad pœnitentiam conducet, verum etiam ad Communionem, aut Eucharistiæ susceptionem, nec non ad Pasionem & festum Paschatis. Vtinam filium prodigum profundè satis mentibus nostris

infigeremus, miseriam nostram, vt ipse expenderemus, factis ipsum exprimeremus, & tali fide, humilitate ac pœnitentia ad Deum nos cõuertere mus, quali ipse fecit haud dubie non minori gratia dignaturus esset nos Deus, quàm illum. Eundem namque cum ipso patrem habemus, perdita ouis, vt ipse fuit, nos quoque sumus, quas ærumnas ipse in corpore expertus est, eas nos spiritua- liter patimur. Hoc vno differimus, quòd calamitatem nostram non perindè sentimus, ac ipse sen- sit. Quapropter etiam atque etiam rogandum no- bis est lumen gratiæ, vt nos in filio prodigo ceu speculo discamus ipsos cognoscere, quinimò vt nos filiũ prodigum ipsi iudicemus, ex vera humi- litate, & ex fide non simulata Deum pro vero ac benignissimo parente nostro habeamus: Quod iudicium ex hac parabola qui consequi potest, sua sponte faciet, quod filium prodigum facere non piguit. Quocirca nunc parabolã audiamus. Chri- stus sic fari incipit:

Luc. 15. b Homo quidam habuit duos filios: & dixit ado- lescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et diuisit illis sub- stantiam. Et non post multos dies congregatis om- nibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substan- tiam suam viuendo luxuriosè. Et postquàm omnia consummasset, facta est fames valida in regione il- la, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhesit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam

suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ven- trem suum de filiquis, quas porci māducabant, & nemo illi dabat. In se autem reuersus dixit: Quãti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor! Surgam, & ibo ad pa- trem meum, & dicam ei: Pater, peccauit in cœlum: & coram te: tam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et sur- gens venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc lon- gè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, pec- caui in cœlum & coram te, iam nõ sum dignus vo- cari filius tuus. Dixit autè pater ad seruos suos: Ci- to proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamentum in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & māducemus & epulemur, quia hic fi- lius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & in- uentus est. Et cœperunt epulari.

Hucusque parabolæ enarratio. Vbi primò ani- maduertere debemus, quorsum Christus hęc pa- rabolã dixerit, ne à recta via aberrare videamur, nec secus eam interpretemur, quàm Christus in- telligi voluit. Quod optimè ex iis cognoscemus, quæ vel præcedunt, vel sequuntur.

Cæterum Lucas caput decimumquintum ita exorsus est: Erant autem appropinquantibus ei pu-

blicani & peccatores vt audirent illum. Et murmurabant Pharifæi & Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Ad quæ verba triplicem Christus adducit parabolam, quarum prima de oue, quæ perierat, agit. Secunda de drachna perdita. Tertia de filio prodigo.

Facile itaque ex huius Capituli proœmio vnicuique innotescere potest, quid Christus per tres illas parabolas significare voluerit. Mens & voluntas ipsius erat, omnibus mortalibus declarare non solum Deum, sed vniuersum Angelorum chorum & Electos omnes mirificè delectari respicientia peccatoris, nec Deum re aliqua magis placari, quàm si peccator sibi displiceat & ad cor redeat, quæ res plus loci apud illum habet, quàm frigida ac superciliosa oratio & ieiunium Pharifæorum & hypocritarum, qui suam ipsi probitatem iactabant. Deindè quoque nulli gratiam Dei & pœnitentiam renuendam esse, quod qui faciunt, Dei voluntatem non assequuntur. Atque hæc quidem similitudinis huius est sententia, quæ tantum nos consolari potest, vt nulla res alia, quæ qui non mouetur, & ad pœnitentiam allicitur, nihil est, quo moueri possit.

Præter quam sententiam vnaquæque ex tribus his parabolis, proprii quiddam ac singulare habet, vtpote per istam parabolam de filio prodigo docemur: quo pacto alienos à Deo se homines faciant, quæ sit ad ipsum redeundi via, quanta in recipientis peccatoribus patris clementia. Docemur item in hac parabola miseriam esse

esse seruitutem, seruire cupiditatibus mundanis, contra verò maximam felicitatem, ab erratis immunem esse, ex quibus tamen eximi, pristina restitui libertati quàm sit facile, parabola ista nobis ostendet, cuius principium sic habet:

Homo quidam habuit duos filios, &c.

Superuacaneum omnino est multis interrogare, quis ille homo sit: Est etenim aut Deus pater, aut Christus. Quod si de Christo accipimus, nulla opus est explanatione, cum nemo ambigat ipsum esse Deum simul ac hominem. Si verò de Deo patre intelligere animus est, nihil rursus noui nobis videri debet si homini afsimuletur, cuius rei exempla tam ex vereri quàm nouo testamento proferri possunt, quemadmodum copiosè possem demonstrare, nisi temporis angustia breuitatem suaderet.

Præterea non ignoramus, Deum non solum patrem, sed patrem quoque familiars appellari, cuius domus aut totus orbis terræ ac cœli, aut certè Ecclesia & fidelium congregatio. Qui verò filij illi duo sint, non eadem omnium est opinio. Quod si ad allegoriam referre lubet, Iudæos & Gentiles non absurdè dixerimus. Maior natu Iudæorum, minor Gentilium personam gerit, quæ de re sub finem parabolæ non nihil dicetur. Sunt etiam, quibus per duos istos filios, Angelos homines intelligere placet. Nam postquam aliqui ex Angelis de sua dignitate decidissent, hominem

Deus condidit, qui vicem illorum supplere debebat. Atque hic filius natu minor est, quem propria animi insolentia ac libido seduxit, cum è diuerso maior natu, hoc est, sancti Angeli obedientiam præstarent, & voluntatem Dei exequerentur. Ad postremum sine omni dubitatione, per istos duos filios, duo hominum genera inter populum Dei nobis proponuntur, malum & bonum, firmum & infirmum, inter quæ nunquam non vsu venit id, quod parabola demonstrat. Infirmi facile in quæuis prolabantur vitia, suapte cupiditate, & lasciuia seducti. Primi autem, tametsi constanter se gerunt, nec facile cupiditatibus fœtidis indulgent, eò tamen nunquam deueniunt, vt sibiipsis benè placeant, ita vt nullo misericordie affectu erga peccatorem miserum tangantur, iniquum existimantes, si Deus clementer eos in gratiam recipiat, &c.

Inter istos duos filios, inter ista duo hominum genera, Deus iudex constitutus est, erga quos ambos quomodo affectus sit, & qualiter se habeat, nunc audietis. Erga alterum benignus est & clemens, ne desperans pereat; alterum monet, ne ob probitatem suam sese efferat, & fratri ob Dei gratiam ac misericordiam inuideat, quos tamen pro filiis habet, & fratris nomine compellat, sicuti reuera sunt, nempè filij Dei, non solum creationis, sed & regenerationis: ergo fratres sunt, non modò naturæ, verum etiam fidei iure. Hoc tantum differunt, quòd alter altero fortitudine superior est & firmior. Qui itaq; viribus præcellit, tanto maiori animo ex tribulationum pelago

emer

emergere potest. Qui verò inferior est, hoc plus periculi est, ne seducatur & succumbat. Quæ omnia in dies nunc vsu venire inter mortales, haud ignotum est. Sequitur in parabola:

Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.

Hic prima fronte elucescit, quis autor sit nostri peccati, & cui errati sit ascribenda causa. Scriptura non habet, à patre filium esse actum in exilium nec textus dicit, à malo genio domo paterna prohibitum fuisse. Nequaquam. Vltrò patrem adiit, peregrè proficiscendi facultatem flagitans. Quod imprimis obseruatu dignum est, alioquin mundus semper sui erroris culpam aut in ipsum Deum, aut in cacodæmonem reicere solet, quod primi nostri parentis facta probè comprobant. Eua in serpentem culpam reuomebat. Serpens (inquit) decepit me, & comedi. Adam si honestè potuisset, Deum libenter fecisset peccati autorem. Mulier (inquit) quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, quasi dicat, te impulsore peccatum est: Nisi enim mulierem mihi iunxisses, nunquam eò dementia venissem, vt ausus fuissem admittere in præceptum tuum. Neuter itaque agnoscere volebat, ex propria libidine venire, quicquid malè factum erat. Cacodæmon tentare quidem eos, & insidias illis struere, sed cogere minimè poterat, nec propterea Deus Adamo dederat coniugem, vt illius iussui obtemperaret, sed vt ipse imperio suo in officio eam contineret.

Gene. 3.6

b 5

Vnusquisque veram peccati causam in seipso apprehendit, quarum tres præcipuæ in prima vocatione subindicantur.

Adolescentior filius (habet textus) Quæ vox vnâ statim causam nostri lapsus representat. Vbi obseruabis adolescentiam non eam intelligi, quam solemus metiri ex annis, sed ex imperitia, & ingenij debilitate. Alioquin enim accidere solet plerunque, vt iuuenilis ætas magis, quàm senectus ad vitia propensa sit: atramen nõ semper. Nã inueniuntur nonnunquàm licet ætate adhuc teneri: qui tamen ingenio & sapientia maturi sunt, vt olim Iosephus, Daniel, & Samuel. Rursus sunt adulti interdum & canicie imbuti, qui propter imperitiã pueri non immeritò vocari possint: quædammodum Esaias alicubi de puero centum annorum loquitur. Hoc verò loco de iis loquimur, nõ qui ætate, sed qui consilij inopia adolescentes dicuntur.

Inscitia vna ex causis est nostri errati. Vbi enim consilij nulla copia est, facillè in errorem abducitur homo. Propterea (dicit Esaias) captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiã.

Psal. 81. Et Dauid: Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur fundamenta terræ. Item Paulus: Si enim cognouissent, nunquàm dominum gloriæ crucifixissent. Quare etiam Christus in cruce hanc vocem promittit, Nesciunt, quid faciunt. Quare Moyses quoque populo suo meliorem mentem precatur, inquiens. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Eundem in modum Christus ad ciuitatem

Hic

Luc. 32. c
Deut. 32. d

1. Cor. 2. b

Esa. 5. d

Esa. 65. d

Hierosolymitanam erumpit. Si cognouisses & tu: & ad Samaritanam mulierem: Si scires donum Dei, & quis est, qui dixit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Hæc igitur causa est, qua motus Paulus passim precatur & optat fidelibus, vt cognitione Dei replentur. Nam inscitia, vt primò admonui, causa est & origo nostri peccati.

Atque id sanè in confesso est: Etenim nec perspicimus nec æstimamus, quibus Deus nos donis ornare possit, nec scimus aut reputamus, quanto bonorum cumulo ipsi nos priuemus, & qualem in malorum lernam nos præcipites demus, si separemus nos à bonitate Dei. Quis enim voluptatem aliquam ex peccati turpitudine capiat, qui modò possit prospicere, quæ inde proueniant mala & detrimenta? Quis in peccatis desideat, quem non fugiat, implacabilem Dei iram & certissimam gehennam aut condemnationem, comitem esse? Quis igitur temere à Deo recedat, qui saltem possit suspicari, se in Deo Opt. Max. omnium bonorum veluti cornucopiam habere posse?

Verùm hoc nobis deest, quòd inscitia laboremus, quòd mente capti simus. Quapropter compellat nos Dauid his verbis: Venite filij, audite me. Et Salomon: Si quis est paruulus, veniat ad me. Eam nimirum ob causam dedit nobis Deus verbum suum, vt sit lucerna pedibus nostris & lumen semitis nostris. Eam ob causam nobis dedit filium suum, vt sit lux mundi. Hic est filius meus dilectus (inquit) in quo mihi benè complacui:

Luc. 19.

Ioan. 4. b

Psal. 33.
Prout. 9. a

Psal. 118.

Ioan. 9. a
Matt. 17. a

cui: ipsum audite. Eam videlicet quoque ob causam in veteri testamento promisit, se nobis daturum ac missurum doctorem iustitiæ. Iuxta quam sententiam in persona Dauidis quoque dicit: Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris. Non est igitur mirum si Deus deferatur ab iis, quibus notus non est, qui verbum Dei nec habent nec audiunt, qui nihil de Deo sciunt.

Hæc ergo sunt, quæ nobis in iuniore filio consideranda proponuntur. Per ætatem intelligere non poterat, quanta illi omnium rerum abundantia fruendi esset facultas in paternis laribus, quod postea tandem sensit, sed suo malo. Quo vitio quoniam & nos laboramus, nec cognoscendi operam damus, facile prolabimur, quocumque nostre mentis leuitas, & praua cupido nos ducit. Quid igitur restat, nisi vt nos Christiani cum Dauide

Psal. 12. rogemus, Domine illumina oculos meos, ne vquam obdormiam in morte: &c. Et alibi: Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam; & custodiam illam in toto corde meo. Item: Deduc me Domine in via tua. Iam vna nobis causa monstrata est, vnde accidat, quod temerè nosmet à paterna domo abdicemus, Deum ipsiusque gratiam nihili pendamus, coniciamusque nos in varias peccatorum fordes. Vt autem vel semel rectè causam illam intelligas, inscitia est & mentis nostræ caligo. Secundam deinceps audiemus.

Psal. 118.

Psal. 85.

SEC

SECUNDVS SERMO

habitus in die Dominica Inuocauit.

IN proximo sermone inter reliqua dixi, parabolam de filio prodigo nihil aliud esse, quàm speculum quoddam, in quo cernitur simul, quanta peccatoris sit miseria, & Dei misericordia, qualis sit vicissitudo, hoc est, quo quis modo fauorem & gratiam Dei amittens, incidat in extremam calamitatem, cui peccator obnoxius esse solet, & quomodo vicissim, ab exitio peccati liberato, ad Dei gratiam pateat accessus.

Vtrumque hoc adolescens iste expertus est. Fauore & gratia, dignitate ac beneuolentia non parum valebat apud parentem: sed postea ad maximam miseriam & indignitatem deuenit, sed rursus ex contemptissima hac conditione, ad pristinos honores & decus euectus est. Quibus duabus mutationibus nihil vnquam visum est magis dissimile. Altera enim bona est, altera mala.

Bona mutatio est, quando quis à peccatis se conuertit ad Deum: mala autem, quando neglecta Dei gratia, vitia sectatur. Quæ ambo apud nos Adami sobole accidere videmus, nisi quod facilius ex gratia in peccata labimur, quàm ex peccatis ad gratiam emergimus, & quod semper maior sit numerus eorum, qui de bono ad malum, quàm de malo ad bonum feruntur.

Sed scire fortassis expetis, quid fiat, quod tanta hominum frequentia tam facile de bono nunquam perituro ad id, quod caducum est & interit, à Deo, ad mundum, ex gratia ad peccatum, postremo de

VITA

vita ad mortem se perduci patiatur.

Attende diligenter, quid Christus in principio parabola huius dicat de duobus filiis, quorum uterque erat in domo parentis sui, æquali honore & dignitate præditus. Sed alter utpote iunior & consilij inops, aliam fortunam experiri volens, portionem, quæ ex hæreditate sibi debebatur, postulans, sui dominus esse cogitabat, nec disciplinam patris amplius ferre poterat, tamen nihil erat, quod potuisset desiderare, aut de iniuria patris conqueri. Ad eum cum illo actum erat leniter, ut patrem non appellare non posset, etiam nunc discessurus.

Quid igitur obsecro illum mouit? tria, adolescens erat, & rerum omnium ignarus: petulans & pernicax, superbus & audaculus. Quæ tria animi adolescentis ita huc atque illuc impellebant, ut inter ipsum & patrem, patrisque familiam minime posset conuenire.

Primo, adolescens erat, nec multa expertus, pulchrior sibi inter ignotos videbatur, quam apud notos & domesticos, nondum intelligere poterat aut animaduertere, quam omnes ipsius causa, pater, mater, serui, ancillæ solliciti essent, nemo autem illius curam esset habiturus in foro aut apud alienos. Præterea pomum pluris faciebat, quam aureum: quocirca etiam, non totius hæreditatis bona, sed aliquam solum partem postulat, non considerans, quanto præstantior sit aureus (licet non admodum magnus) quam multa poma magnitudine insignia. Sed puerile hoc est iudicium.

Secun

Secundo, procax erat & sui ingenij, fræni impatiens. Quoad in patris erat ædibus, non poterat esse sine metu, quapropter iter parat ut sibi suo more viuere liceat, & exercere animi libidinem.

Tertio, superbus erat & gloriosus, videbatur sibi se iam vitæ suæ rationem & modum habere posse, nec non ætate & prudentia valere se existimabat, &c. Hæc, ut vides, erant causæ, ad errorem occasionem præbentes, quibus filij Adami etiam dum in peccatum inducuntur.

Primo, nemini obscurum est, quod homini cuius omnis cum Deo expostulandi præclusa sit via, siue de iniuria, siue de duricie seu inclemetia, quominus in domo ipsius permanere possit. Nihil enim Deo amicabilius, nihil illo patre iucundius. Quæ enim fieri potest, ut durus, ut truculentus, ut sæuus sit erga filios suos, qui aliis patribus affectuum sensum, cor, amorem immittit, ut nihil prolibus suis denegare possint, vel ipso Christo attestante, qui ait: Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester cælestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? Similem in modum loquitur Deus per Esaiam: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.

Secundo, certum quoque est, Deum neminem ex suis ædibus excludere, nisi homo ipse eum auerferet, & temerè illius consuetudine se indignum faciat. Si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos, dicebat olim Propheta ad Regem Asa.

Tert

L. ii. c. i. b.

Esa. 49. d.

2. Par. 15. a.

Tertiò, palàm omnibus est, in domo Dei, hoc est, in obseruantia & religione Dei nihil desiderari. Nam si Deus generationem iustorum (vt Psalmistæ verbis vtar) tantis accumulât benedictionibus, vt in domo sua gloriam & diuitias possideat, quid in sua ipsius domo patietur desiderari? Eodem quoque spectat, quod Dauid cecinit: Iunior fui, etenim senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

Penuriæ & egestatis gratia, non est, quòd quisquam à Deo aut ex ipsius domo recedat: Gustate, & videte (inquit Psal.) quoniam suavis est dominus: beatus vir, qui sperat in eo. Et eodem in loco: Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.

Qua igitur (inquis) ratione fit, vt tam multi tam libenter Dei fugiant consortium, inuiti in domo patris sint & maneant, amorémq; illius & beneficia in nos collata nihili pendant? Scias eadem illa tria, in causa esse, quorum paulò superius meminimus, ignorantiam videlicet, reclamãdi studiũ, & audaciam. Quod si intelligere possemus, quas in Deo & ex domo Dei commoditates habere queamus, nunquam deserendi ipsum aut domũ ipsius incesset nos cupido, sed dicturi potius essemus cum sancto Dauide, Mihi adharere Deo, bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Is sanè videre ac cognoscere poterat, quam vtilitatem, quæ commoda ex domo Dei capere posset, quod ipse aliis in Psalmis pluribus testatum reliquit, cuiusmodi

eiusmodi illud est; quod ait: vnam petij à domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. &c. Et rursus aliud: Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram?

Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ. Item: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meũ & caro mea exultauerunt in Deũ viuũ. Beati qui habitant in domo tua domine: in secula seculorum laudabunt te. Et iterum: Benedic anima mea domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, &c.

Vide quàm exactè sanctissimus Dauid perspexit, & potuit intelligere, quantam bonorum vim domus Dei suppeditare possit. Quamobrem quodam in loco animo securo summãq; fiducia dicit: Non discedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Quod aliis verbis alibi quasi repetit: Bonũ est confidere in domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in domino, quàm sperare in principibus. Id ipsum quoq; alij sanctissimi patres tam in veteri, quàm in nouo testamento perspexere, idq; verbis magnificis elocuti sunt, quàm cõmodus & vbiq; præsens sit suis filiis iste pater, & quanta omnium bonorum vberitas in ipsius domo inueniatur. Sanctissimus Iosue

populo suo liberum permittebat, vt qualem vellet, sibi Deum eligeret. Ego autem (inquit) & domus mea seruiemus domino. Diuus Iob ita spem suam in Deum fixerat, vt dicere non vereretur: Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Sanctus Petrus non nisi obiter senserat dulcedinẽ, quæ est in domo Dei, statim præ gaudij magnitudine erupit dicens: Domine bonum est nos hic esse. Et rursus:

Matt. 17. a

Ioan. 6. g

Rom. 8. g

Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Huic accedit diuus Paulus, cuius verba ita habent: Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Certus enim sum, quia neq; mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.

Hi veri erant Dei filij, hi cognoscere poterant Dei benignitatem, & facultates, quibus talis patris domus ornata est & instructa. Quod intelligere filij Adami non magnoperè laborant, vt potè mente capti, quocircà Deus non est illis curæ quicquam, facile Dei consuetudinẽ contemnunt, breui momento omnia beneficia memoria excidunt, quæ à tali patre acceperunt, vel erant accepturi. Hæc vna causa est, quæ nos à Deo alienat. Imperitia est, negligentia & cogitationes, quibus animi puerorum occupati esse solent.

Omnium bonorum abundantiam possemus habere in Deo ipsiusq; domo, quorum particulis magis delectamur. Si quid enim nobis occurrit in mundo, quod arridet, non conuiescimus, donec illius cõpotes fiamus, obliti ea, quæ in domo Dei sunt optima. Nam quod mundus habet, nihil integri est, nihil solidi. Ad totũ, hoc est, ad omnium bono

bonorum perfectionem nobis adnitendum erat. Non frustra idcirco sacra scriptura tanta seueritate nos monet, vt nobiscum perpendamus, quid in nos Deus beneficiorum contulerit, & adhuc erat collaturus, in posterum. Quod qui recollit, & quasi ob oculos continuo habet, nunquam tam benefici parentis habitationem vitabit, quin porius omnem curam adhibebit & diligentiam, ne ob delicta sua & culpã tali domo pellatur, eiiciaturq;. Tantum de prima causa.

2. Pet. 1. e

Alter a causa, quæ domum paternam nobis sæpenuerò odiosam reddit, propria est, mala & peruersa nostra voluntas, quæ statim in primo homine emicuit, & in omnibus adhuc mortalibus apparet, quæ in angustias cogi non vult, quæ agrè coeretur, omnes euadendi quærit occasiones.

Primo homini Deus obseruatu facilem posuerat legem, quam tamen vix acceptã prophanauit, eò quòd esset cupiditati & voluntati propriæ contraria. Vidit (inquit scriptura) mulier, quòd bonũ esset lignum ad vescendum, &c. Plus delectationis ei afferebat id, ad quod animi libido & cupiditas impellebat eam, quàm diuinum præceptũ. Nec cessabat, donec perficeret, quod mala cupido suadebat, quamquàm sciret aliam esse Dei voluntatem. Haud secus nos quoque prouocat cupiditas, qua tantò facilius vincimur, quantò magis ad voluptatem, temeritatem & vanitatem procliu es sumus, quare nihil magis Deus in sua domo abominatur. Isthinc enim dicere vnumquemque oportet: Pater, tua nõ mea fiat voluntas, quo fit, vt tantò citius, voluntatis pertinacia, ne con-

Gen. 3. b

Mat. 26. d

stringatur, euadat, & in locū prorumpat, vbi pro arbitrio regnare possit, Dei & diuinæ voluntati subici non vult, libertate gaudet, coacta nihil facit, nullius præter quàm sui rationem habet, quocirca non immerito à Diuo Bernardo cruenta bestia appellatur.

Quid enim turpe vsq; adeò est, quod propriæ voluntatis temeritas non audeat: quæ non solum ipsa Deo obediens non est, sed omnes creaturas refractarias facit. Nam qui rerum mundanarum amore tenetur, non dubitaret vniuersum orbem terrarū in suam redigere potestatem, si quomodo posset, & quod plus est, si fieri posset, ipsum Deum omnium rerum autorem de cælo deturbare, vel etiam illi necem inferre. Quæris qua ratione? Nihil magis ex votis illi posset obtingere, quàm si nullus in rerum natura Deus existeret, aut si hoc vitari non posset, saltem ne quid sciret, & ne pœna peccata prosequeretur. Quod qui facit, haud dubiè nihil aliud conatur, quàm vt possit Deum è medio tollere, si vires suppeteret. Hactenus duas nostri lapsus causas explicauimus, vt sunt, ignorantia & peruersa voluntas.

Tertia causa est, nimia cōfidentia sui, qua scilicet confisi nostro ingenio, prudētia ac peritia persuademus nobis, nos vita nostrā posse habere modum, Deū ipsiusq; gratiā nihil morantes, arbitrati nulla doctrina amplius, nullis orationibus, nullis exemplis eorum, qui in domo Dei sunt, opus nobis esse, &c. Hoc est, quod adolescens ait: Pater, da mihi facultatem mearum portionē. Ipse periclitabor, quid lucri ex ea facere possim. Dictu incredibile

dibile est, quàm subito homini imposuerit talis cōfidentia. Adam nihil se fugere autumabat, cū tamen toto aberraret cælo. Qui stat (inquit Paulus) videat ne cadat. Rursus: Tu fide stas: noli altum sapere, sed time. Sapiens quoq; beatum illum hominem dicit, qui semper est pauidus. Simile legitur in Apocalypsi. Dicitis, quod diues sum (inquit Deus) & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Cæterum homo propria virtute confusus quid possit & valeat, deinde audiemus.

Verum, quomodo se gerit Deus erga tantam filiorum suorū inscitiam, pertinaciā & cōfidentia?

Et diuisit illis substantiam.

(inquit Christus.)

Alium donat ingenij acumine, alium artium peritia, alium diuitiarum splendore, atq; ita deinceps hunc isto, illum alio ornans munere, & cupiens singulis totam hæreditatis substantiā communicare. Sed ipsi longè aliter affecti sunt. malūt hæreditatem in portiones secari, prout diuersa hominum sunt ingenia. Deus autem pro sua summa sapientia vnumquemque suo more & ex suo ingenio viuere sinit, neminem in familia suæ contubernium inuitum cogit, neminem præter suam voluntatem detinet, omnibus æquè benignum & munificum se offert, omnium se patrem profertur, quem semel in hospitium recepit, eum fouere omni tempore vellet. At si quem abeundi desiderium habet, non magnoperè repugnat, discendi potestatem facile concedens. Populus meus





DE FILIO PRODIGO

(inquit) non audiuit vocem meam: & dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Sic Christus inquit ad prodigium suum, cum videret nullam ut resipisceret adhortationem prodesse: Quod facis, fac citius. Deus apponit nobis bonum & malum, aquam & ignem, vitam & mortem: aut (vt Moyses inquit) benedictionem siue maledictionem, quod placuerit ei dabitur illi.

Id ipsum nobis Christus demonstrare vult per voculam vbi ait: Et diuisit illis substantiam seu hereditatem. Quis est iam tam perfrieta fronte, qui Deum nostri interitus autorem appellare auit? An non satis est, quod nos crearit, redemerit, vocarit, & tandem in suum domicilium receperit? An adhuc præter animi nostri voluntatem nos retinere debet? Minimè gentium. Nam quem admodum Deus neminem excludit, neminem sua consuetudine indignum iudicat, modò quis eam ambiat, ita neminè vult astrictum esse, quin cum velit possit recedere.

Quam igitur isthinc hauriemus doctrinam? Vt tantò simus circumspectiores. Postquam in filio isto prodigo deprehendimus, quid sit illud, quod damnum nobis inferat, & quo circumueniamur, aut quod nos ed impellit, vt amantissimum nostrum ac beneficentissimum patrem deseramus. Ignorantia est propria ac peruersa voluntas, superba confidentia. Multi per ignorantiam labuntur, plures per voluntatem propensam ad repugnandum, nec non pauci per nimiam confidentiam.

Quod

Quod si igitur miseriam, in quam filius prodigus incidit, effugere cupias, exorandus erit tibi Deus, vt oculos tuos illustret, quò ipsum, voluntatemque eius cognoscas, verbum Dei indefatigabili studio audito, legito, & meditator, quod inscitiam & pueriles cogitationes facillè dispellet, & satis docebit te, quid còmodi in domo paterna, & quid foris mali tibi expectandum sit. Sin verò propria te lacepsit voluntas, rursus ad Deum confuge, orans, vt te nouo corde, suoque spiritu velit ditare (sicut in Ezechiele recepit) & per illum spiritum timorem quòque infundat, vt in illius præceptis possis ambulare, vt nomen eius in te sanctificetur, regnum stabilietur, & voluntas ipsius in te, & per te compleatur. Denique si fortè inuadat te superbus spiritus, qui tibi suggerat, tanquam perfectionis gradum sis consecutus, ne crede illi, imò summoperè caue, ne illius suasionibus nimium concedas aut fidas. Quantamcumque enim bonorum vim accepisti, nihil tamè proderunt omnia, si à Deo animum auertis.

Ezech. 36. b

In summa, In Deo omnium rerum affluentiam habes, tamen si videaris tibi tenuis & vix habere, vnde, iuxta proverbum restim emas. Extra Deum autem & illius domum, nihil habes, etiam si Pactoli opes, vt dicitur, tibi habere videaris. Quapropter consultissimum est, cognoscere & considerare, quid à Deo patre nostro accepimus, & vt in ipsius domo maneamus.

DE FILIO PRODIGO
TERTIVS SERMO, SECVN-
da Dominica Quadragesimæ habitus.



VDIVISTIS superiore sermone in parabola de filio Prodigio, quæ sit causa, quòd nos christiani, quibus præ cæteris gentibus hoc privilegij concessum est, ut audeamus Deum patrem nostrum appellare, quemadmodum patris benevolentiam indies in nos declarat, in quo & in cuius domo nihil desideratur, quod ad nostram tam temporalem & corporalem, quam spiritualem & æternam salutem necessarium nobis est, multoties tamen leuiculam ob causam ab eo discedamus, & domo ipsius relicta, momentaneam voluptatem, gaudiũ aut utilitatem quantumuis exiguam in peccatis, gratiæ & favori ipsius longè præferamus.

Quod sit primò, quia nescimus, aut nescire nos simulamus, qualis pater sit Deus, quibus beneficis nos accumulavit, quæ quotidie ab ipso accipimus dona, & in posterum accepturi eramus. Secundò, non parum ad peccatum adiumenti est, quòd propria voluntate, & pravis cupiditatibus corrupti, plus quam par est, frænum illis remittimus. Tertio, accedit etiam nimia nostri confidentia, quia nostris confisi viribus, videmur nobis aliquid esse, cum re vera nihil simus aut valeamus.

Gal. 6. b Arbitramur eò loci nos iam peruenisse, ut ipsi nobis viuendi ratione possimus præscribere, non obseruantes, homines nos esse & mortales, eoque imbecilles & infirmos, donec cæno immeris vix salutis spes sit, ita ut non solum coram Deo & conscientia

sciencia nostra, sed etiam coram mundo probrum & ignominiam nobis conciliemus. Vbi tandem magno nostro malo videre cogimur & fateri, nullibi & melius, & tutius nos agere posse, quam in patris laribus, Dei freti præsidio.

Quæ omnia ita se habere, filius prodigus satis exemplo esse potest, qui non poterat videre parentis commoditatem & usum, donec exilij grauitate premeretur, qui ingenij sui malitiã non sentiebat, donec in peccatorum profundissimã voragine incidisset, qui nesciebat, sibi Deo & eius gratia omni tempore opus esse, donec omnem suam substantiam dilapidasset. Pater (inquit ex imperitia, voluntate refractaria & arrogantia) da mihi portionem substantiæ, quæ me cõtingit. Imprudens sanè hæc est, & stulta compellatio, pertinax propositum, presumptuosa petitio, quod quamuis nondum apparet, postea tamen, idque breui apparebit.

Quicquid illud est, ad nostram doctrinam est literis proditum. Non enim parum facit ad casum præcauendum, si videat quis, ubi alius aut ipse impegerit. Si ne quibus antea intelligere, quanta ex Deo, & domo ipsius ad te rediret utilitas, saltem nunc oculos aperi, manu accipe lumen, hoc est verbum Dei, quod tibi monstrabit id, quod ignoras. Si propriæ voluntatis arbitrium in errorem antehac te induxit, ne posthac illi fidito, voluntati Dei potius annititor. Si hætenus ipse tibi multum tribuisti, atque ideo lapsus es sedata animi insolentia, vide post hæc, ut eò diligentius aduigiles, ut in præsidio Dei semper inueniatur, dicens cum Dauid: Domine fortitudo mea & refugium meum

Psal. 30. es tu: Quoniam ipse liberauit me de laqueo venarum.
Psal. 90. tium. In te faciam virtutem, & tu ad nihilum deduces inimicos meos. En istud est, quo docemur per principium istius parabolæ.

Audiendum etiã nũc est, quò filiũ prodigũ stultitia sua, propria animi libido, & confidentia pertraxerit. Christus parabolã his verbis psequitur:

Et nõ post multos dies cõgregatis omnibus, adolefcior filius peregrẽ profectus est in regionẽ longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosẽ.

Hinc discimus, ad quam miseriam homo stolidus, suum morem sequens, & præsumptuosus, redigatur. Hinc discimus, quod præmium illum maneat, qui Deum derelinquit. Hinc discimus, qui lucri ille faciat, quid illi opes, ingenium & scientiæ sublimitas profint, qui præter Deum aliud requirit. Hinc discimus, quid facere soleat is, qui sibi derelictus est, quomodo videlicet deterior semper fiat, & de vno in aliud ruat vitium. Hinc discimus, quomodo peccatorum multitudo in homine de die in diem accrescat & augeatur, donec totum hominem opprimãt. In summa, hinc discimus, quàm sit horribile iudiciũ, & misera conditio illius, qui Deo curæ non est.

Speciem quidem gratiæ & beneuolentiæ habet, quod illico, & sine mora insolentis sui filij petitioni subscripserit, & portionem, quæ ad illum ex hereditate redibat, non denegãrit, sed reuera nihil erat aliud quàm ira & iudicium in stultum filium. Nihil maius nihilque optabilius homini accidere potest, quàm si in Dei tutelam & patrocinium

cinium recipiatur, nihil rursus timescendum magis, quàm si curã ipsius habere Deus recuset. Quid aliud hominẽ à peccato, à morte, omni que periculo immunẽ reddit, quàm præsidium Dei? Cõtrã verò, si quis abneget Deum, quid aliud facit, quàm quod in varia flagitia, & mille discrimina se cõiciat?

Quod Christus pulchrẽ nobis expressit per filium prodigum. In cuius oratione singula verba suum pondus habent.

Principiõ non frustra est, quod dicit: Et nõ post multos dies: Etenim animus humanus naturalibus suis donis non potest diu inniti, sed quàm primũ labascit, vbi Deus abstrahit manum suã. Prauum cor hominis (inquit Hieremias) & inscrutable. Huic astipularur Esaias: Cor impij quasi mare feruẽs. Porro præstigiator Satanas non cunctatur, nõ dormitat, nullas nõ artes ad expugnandũ hominẽ illum, quẽ videt Dei auxilio destitutum. Qui nihil rei sibi vult esse cũ Deo, haud diu quietũ illũ sinit diabolus, quin statim occupatum illũ reddit negotio aliquo, quod Deo non probatur.

Quod in primo nostro parente clarissimẽ demonstrari potest. Optimẽ illum Deus condiderat, & pulcherrimis ornauerat donis, sed quandiu in illis perstabat, postquã relictus esset in manu cõsiliij sui? Vtiq; hostis nõ cessabat, omnes nervos intendebat, consiliis & pollicitationibus, donec vtrunque in peccatum & interitum præcipitasset. Hoc sibi vult particula illa, (Et non post multos dies) Quid autem facit filius prodigus?

Congregatis omnibus.

Clementem ac benignum se patrem habere opinabatur

Hier. 17. b
Esa. 57. d

Eccle. 15. 9.

Genes. 3.

nab a

nabatur, eò, quòd haud grauatim hereditatis partem sibi distribuisset, ignarus non nisi iram & indignationem esse, damnum & certissimam perniciem subsecuturam. Quæ enim bonorum utilitas esse potest, & si Cræsi diuitias cogas, si extra domum Dei viuas? Felicior rerum modicarum vsus est annuente Deo, quàm illo repugnante bonorum non æstimandorum. Quod Dauid verbis non obscuris significauit, ubi ait: Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Verum mundus ut id credat, adduci non potest, nec filio prodigo verisimile videbatur, donec ipso vsu, sed non sine damno suo maximo ita se habere perdisceret. Omnia congregabat: putabat iam sibi opibus ita prospectum esse, ut nulla calamitas animum sollicitare posset, ac proinde impossibile esse, aduersam fortunam in se ullam potestatem habere posse, planè sibi persuadens, facultates istas perpetuo duraturas. Quid autè accidit? Satietas (ut in puerbio est) ferociam parit, & diuitiarum animam addunt. Sic statim hic superbire incipit potentia elatus, parum illi videbatur aduersus patris voluntatem semel fecisse, & obedientiam limites transgressum esse, qui primus ad interitum gradus est, nisi domum quoque patris vitaret, & profectioem longinquam susceperet, qui gradus secundus est & propior ad interitum. Nam ut ut homo se habet, quantumuis fragilis & infirmus, licet sæpius cadat, restaurari tamen facile potest, quàm diu in domo patris permanet. Cum enim ceciderit iustus (inquit Dauid) non collidetur, quia dominus supponit manum suam. Qui verò conspectum patris quàm longissimè fugit,

Psal. 36.

Psal. 36.

git, fieri non potest, quin pereat. Cuius rei duo insignia sunt exempla, Petri & Iudæ proditoris. Petrus grauius quidem lapsus erat, non semel, sed ter Dominum abnegans, quoniam vero corde adhuc Christo conglutinator esset, nec à Patris obtutu omnino se submouisset, non tantum illi non obfuit, sed maiorem etiam postea laudem & gloriam consecutus est. Rogauit pro te (inquit Christus) ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Iudas autem diuersum planè faciens, à Christo penitus seiungebat se, patris domum egressus, maluit inter hostes Dei, quàm cum Christo inueniri. Quid itaque mirum, si in peccatis ipse mortem sibi consciiuit? Tali exitio omnes peccatores, qui à Deo recedunt, mulctandi erant: nisi sacræ literæ nobis certissimè promitterent, peccatis nostris longè superiorem esse misericordiam Dei.

Luc. 22. 6.

Adolescētior filius peregrè proficiscebatur, cadere inceperat, pedem referre haud poterat, donec extrema immineret calamitas. Regionem petebat, à patris domo longè dissitam. Qui gradus tertius est ad interitum.

Quæritur quæ illa sit regio tam remota? Audi quid Dauid dicat: Appropinquauerunt (inquit) ^{Psal. 118.} persequentes me iniquitati, à longe autem tua longè facti sunt. Et rursus: Longè à peccatoribus salus. Quid enim à Deo remotius, quàm seruire dæmoni? Quid à lege magis dissidet: quàm vitam sine omni lege traducere? Quid à domo Dei, in qua omnium virtutum disciplina regnat, longius abest, quàm impudicè & flagitiosè agere vitam?

vitam? Quid virtuti contrarium magis, quàm ruerè in omnia flagitiorum genera? Quid à veritate, luce & iustitia magis distat, quàm mendacij, tenebrarum & iniustitiæ vestigiis insisterè? An non videtur tibi homo ille in longinqua oberrare regione, & lógissimè abesse à limine domus sui parentis, qui in seipso imaginem Dei obscurat, denuò

Heb. 10. b filium Dei in crucem agit, conuiciis onerat spiritum gratiæ, vitam longè aliam ducit, quàm in patris sui domo vel vidit vel didicit: blasphemat Deum vbi reliqui filij, cum laudibus prosequuntur, carnalem & pecuinam voluptatem amat, vbi alij castè & pudicè viuunt, operam dat deliciis & crapulæ, vbi cæteri vigiliis, ieiuniis, orationibus sese macerant, & peccata sua huiúsque vitæ miserrimas deplorant, ea quæ futura sunt meditates & ingemiscetes.

Vide hæc illa dissimilitudo est, hæc illa remota regio, in quam filius prodigus se contulit, qui antea Angelis similis erat, pecudi iam vel potius malo spiritui factus est similis, qui antea ciuis erat cæli, modò seruus est peccati.

Aut si lubet ita possumus intelligere. Quod peregrè proficiscitur, id eo animo facit, quòd speret se hoc pacto peccata sua patrem celare posse, vt eò magis pœnæ metu liberetur. Quæ res non insipienter incepta videri posset, nisi Deus omnes angulos etiam perlustraret. Deus è vicino ego sum (inquit ipse in Hieremia) & non Deus de lógè. Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, nunquid non cælum & terram ego implebo. Aut putas peccata tua semper posse occultari eò, quòd

Rom. 6. c

Hier. 23. c

quòd pœnam Deus in tam longum tempus prorogat? Nescis, quid in Propheta dicit: Tacui, semper filii, patiens fui, sicut parturiens loquar. Et in Dauide: Hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciam tuam, &c. Tandem filius prodigus in peregrinam venit regionem, valde remotam à domo paterna. Sed quid amplius factum est?

Ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose.

Talis rerum nostrarum successus est, quando Deus nos gubernandi habenam suam remittit, addèd omnia nihil profunt quæcunque vel habemus, vel accipimus, postquam Deum amisimus. Omnia diffluunt, intereunt & in nihilum rediguntur, vbi dissolutè viuunt. Fieri nequit, vt qui Deum deserit, modum sibi statuere possit. Qui non colligit mecum (inquit Christus) dispergit. Nulla bona, nulla diuitiæ, nulla scientia aut peritia, nulla dona commodant, nisi Deus primò auxilietur & benè fortunet. Stultus factus est omnis homo à scientia sua (inquit Hieremias.) Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur, ò Deus.

Per hanc igitur auersionem à Deo miserrimus peccator amittit omnia ea, quæ accepit, & quæ illi conducere poterant ad ipsius salutem, scientiam, intellectum, gratiam, corpus & animam tam temporaliter quàm spiritualiter & æternaliter. Hoc nos expendere vult Christus, exemplum seu speculù quod intruemur ob oculos nobis ponès, in quo

Es. 42. o

Psal. 49.

Luc. 11. o

Hier. 10. c

Sap. 9. b

quo



quo qui peccatoris conditionem & miseriam videre non potest, is profectò videre non vult, sed suapte sponte perire.

Hæc fratres consideremus, tametsi in amœnum & minimè iucundum est speculum, magne tamen utilitati esse nobis potest. Primum istud est, quod circa pœnitentiam indicari debet. Quandiu enim homo non videt & ignorat, quæ mala ex peccato nascantur, non timet in eo desidere; qui autem videt & nouit, tantò citius ad pœnitentiam properabit, præsertim si intelligat per pœnitentiam omnia illa mala facile cuitari posse. Deus Opr. Max. oculos nobis aperire dignetur, vt quæ nobis officiunt, possimus videre, & vicissim etiam gratiam, per quam fugienda declinemus, nosque aduersus ea roboremus. Amen.

Q VARTVS SERMO, DOMINICA tertia Quadragesime habitus.



V diuimus proximo sermone, & quasi ob oculos vidimus in parabola de filio prodigo, quæ iam inde ab initio peccatorum fuerit, & adhuc est cõditio, & qui gradus sint, per quos de diuinæ gratiæ sublimitate, in peccati deuoluuntur profunditatem.

Primò, aut stultitia obcæcantur, aut propriæ voluntatis corrumpuntur libertate, aut accepta exulantur gratia. Ex quibus vbi vnum seu plura inualefcunt, ibi peccatum, ac deinceps interitus principiũ suum habet & causam. Quamprimum verò peccatum in homine radicem acquirit, al-

tius

tius haud dubiè emergit, & fructus fert pessimos quosque & amarissimos, quales nuper vidimus in filio prodigo, qui postquam cadere incepisset, casum haudquaquam emendare poterat, donec in extremum omnium peccatorum periculum deuenisset, & inter sacrum & saxum, iuxta proterbium, versaretur.

Primum obedientiam patri denegabat, suo more viuere gaudebat, sui ipse dominus esse volebat nemini obnoxius, domum postea paternam reliquit, ne quid libidini ipsius obstare posset, aut ne quis esset, qui cum ipso expostularet. Deinde longinquam petebat regionem longè disitam à domo patris, ne pateret oculis sui patris, quæ esset viuendi consuetudo & ratio, quam absens non posset reprehendere.

Hæ erant cogitationes ipsius & propositum, rem sibi videbatur præclare instituisse, nullius voluptatis & gaudij putabat iam sibi non datam esse potestatem & copiam. At non longè post, facti stultitiam sensit, cognouitque longè aliud esse inter ignotos versari, quàm apud dulcissimum & benignissimum patrem. Quid ita? Quoniam pater domi filij sui curam perpetuò gerit, diuitias & opes illi accumulatur, nullius rei inopia cum labore finit, omnia, quibus opus habet suppeditat. Inter peregrinos autè quamuis amici quoque inueniuntur, amici tamen esse desistunt, vbi loculi exhausti sunt.

Hoc modo cum filio prodigo actum fuit, omnem substantiam suam apud ignotos prodegit, omnium, quæ à patre acceperat iacturam fecit.

d

Istud stipendium est peccati, amittere videlicet Deum & omnem iustitiam, quæ est in domo Dei, arceri à Deo & omnibus electis, omnium bonorum iacturam facere, & postremo grauiori multari exilio ac calamitate. Quæris quo modo? Audi, quæ Christus pergit de filio prodigo commemorare.

Et postquam omnia cõsummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhesit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere vētrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.

Miser homo cœno immerfus nunc totus iacet, ipse sibi auxilium ferre non potest, neminem habet, qui misericordia erga ipsum moueatur, nil nisi summa & extrema apud illum est miseria & calamitas. Ita quoque fit & sic fieri debet, vt qui Deum patrem habere non vult, qui tamen opem & gratiam promisit, is ab omnibus deserendus est, ac insuper ludibrio habendus. Nō venerat in mentem lasciuo puero, cū adhuc in domo esset patris, talia sibi euenire posse aut euentura.

Sed quare Christus hoc nobis scribi & prædicari voluit? Vt nobis exēplo sit, & vt ea, quæ futura sunt prospiciamus. Felix quæ faciūt aliena pericula cautū. Quod filio intractabili & effræni contigit, id ipsum & tibi proculdubio cōtinget, vbi proteruē à Deo discesseris. Cuius rei non solum aliorum hominum exempla habemus, sed in nobis etiam

etiam id deprehendimus. Quemadmodum enim, vt paucis cōplectar, nō est, quod quisquam in domo Dei periculū aut interitum timeat, ita quoque extra Deū & ipsius domū salutē nullā sperare potest. Quapropter verba textus penitus introspecta, vnde euidenter satis patebit, quā peccator sit miserabilis creatura, & variis arumnis subiecta.

Primò (inquit textus) Facta est fames valida in regione illa. Quid enim aliud prouenire potest? tam forinsecus quā temporaliter, necnō omnia turpiter prodigūtur. An nō quotidianus nos vsus docet? Quid omnium rerum caritatē inducit aliud, quā quod in sumptibus immodici sumus, & præter necessitatem ac superfluē cūcta profundimus? Nonne Salomon pigritiæ & ocio deditis vaticinatus est, vbi inquit, veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir amatus.

Alioquin etiam certum est, famen ibi esse maximam, vbi panis vitæ desideratur, præter quæ quicquid acquiritur, hominem faciare nō potest. Quapropter non sine causa in textu habetur: Et cœpit egere. Nam vbi Deum præsentem non habemus, ibi necesse est, egestatem & inopiam esse acerbissimam. Et si summa reliquarum rerum omnium sit vbertas, animus tamen humanus & cupiditas inexplibilis est, ad eō vt semper plura concupiscat & desideret.

Nō saturatur (inquit Salomon) oculus visu nec auris auditu impletur. In Deo vera plenitudo est & facietas, qui, vt dicit Dauid, replet in bonis desiderium nostrum. Esurientes impleuit bonis (inquit Maria) & diuites dimisit inanes, eō, quod



Pro. 6. 6

Eccles. 1. 6

Psal. 102.
Luc. 1. e

Semper quærent, nec vnquam saturantur.

Quod quidem argumento nobis maximo est, quàm nobilis anima hominis sit, & quàm sit multarum rerum capax, quomodo quidem nulla re visibili & peritura expleri potest.

Ad hæc videmus quoque & exploratum habemus, quàm sit peruersus animus hominis, qui per res visibiles suis cupiditatibus satisfieri semper cupiat. Et tamen non rarò fallitur, non tamen ad meliora & cœlestia aspirat, sed semper opem sibi quærit ex rebus temporalibus. In rebus spiritualibus præter famam & egestatem nihil esse potest, vbi dona Dei per fusa sunt & perditæ, nec non extra domum Dei viuunt. Quod sanè non temerè adiciendum putauimus: quoniam in domo Dei penuria nulla est, sed omnium rerum abundantia. Quæ enim ibi potest esse inopia, vbi Deus ipse pater familiæ agit, curam gerit, corporali cibo suos filios alit, & fouet illos spirituali alimento, hoc est, verbo suo, sacramentis, spiritu, internis consolationibus, nec non pacem illis largitur, gaudiū, securitatem, & bonorum omnium aceruum?

Quam ob rem Christus non simpliciter dicit: Et facta est fames, sed addit, in regione illa, in quâ petulans filius migrauerat. Nam postquàm in dissimilitudinem illam cum Deo tanquàm ex diametro pugnantem deuentum est, cuius superius memini, nihil profectò reperitur, quod hominem in cultu pietatis possit cōseruare. Nā isthinc longè abest verbum Dei, absunt sacramenta, abest spiritus sanctus, & quod proximum est, neque vera pax aut securitas, neque gaudium aut quies vel
etiam

etiam solatium esse potest apud eiusmodi hominē. An non magna fames est, vbi nihil earū rerum in pròptu habetur, quibus anima foueri & consolari potest? Itane grauis est fames corporalis: tantisne opus est querelis, tanto quærendi labore, tantis obsecrationibus & fletibus, antequàm esurries illa sedari possit? quid in spirituali fame fieri oportet, vbi peccator omni bono priuatus, in perpetua discordia, periculo, pauore, metu, tristitia & pusillanimitate hæret & intricatus est, opus quidem habet solatio, sed nullum inuenit: quietem inquirat, quam habere tamen non potest.

Atque hæc fames est, quam Deus minatur per prophetam Amos, famem non panis, sed famem audiēdi verbum domini. Eò peccatum hominem redigit, vt egenus & inops sit, in gratia & donis Dei, nec non consolatione & confirmatione.

Verum homo, qui tanta fame affligitur, quid facit? aut quid fieri potest, vt aliter se gerat, quàm filius prodigus, quem fames vsq; adeò premebat, vt abiens adhereret ciui cuidā illius regionis, qui illum custodem porcorum constituebat. Ad hanc, inquàm, seruitutem, dira fame cōpellebatur, quæ fames potius ad relegendum iter cōpellere debebat, animum his cogitationibus subeuntibus. Nō pol hic est manendi locus, sed patriā repetam. Verum patris non recordabatur, cuius tamen fuisse recordatus, pudor tamen vetabat, quo minus ad eum redeundi animus esset, famem & exilium ferre malebat, quàm demittere sese & ferociæ crimen confiteri, suspicans fortasse, patrem in exorabilem esse, & nihil charitatis pristinæ residere in

illius pectore, quapropter fame vel etiam desperatione eò redigebatur, vt adhuc longius à patre distingeretur, & seipsum in seruitutem eamque fœdissimam daret, qui antea liber fuisset.

Dignum hoc quidē est supplicium, vt quādo patrem fugimus, peregrinus & barbarus nos in seruitutem dedat, quando libertatem, quæ filiorum Dei est, respicimus, vt captiui & mancipia Diaboli simus. Talis fortuna mansit filium prodigum.

Talis quoque omnium peccatorum euētus esse solet, qui quamprimum famem spiritualem perferentiscerent, ad domum patris confugere debent, sed pudore nonnunquam impediti, malunt in angustiis & egestate viuere ac conscientiaē torqueri miseria, quā coram Deo sese submittere, & peccata sua confiteri. Nonnunquā animo ad eò sunt abiecto, vt timeant, nihil misericordiae loci relictum esse, ac proinde abeunt & longius semper domū patris à tergo relinquunt, infamiae tandem nota penitus inuruntur, totos se denique in peccata coniciunt: hoc cogitantes, actum agi. Vnde non rarò desperatione adducti ipsi sese potestati daemōnis tradunt.

Gens. 46.

Tale quiddam apud Israëlitas praefiguratum est, quos fames in Aegyptū proficisci coegit, quique deinde à Rege summis grauabantur laboribus in conficiendis lateribus. Ita quoque interdū peccator tanta vrgetur fame, vt peccatis totum se se mancipet, videns nimirum se gratia & fauore Dei planè excidisse.

Et hoc est, quod de filio prodigo dicitur: Abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius &c. Per ciuem

ciuem intelligere possumus peculiare quoddam peccatū, quod homo sibi familiare facit. Maxima quidem animi iucunditas esset, omnibus indulgere voluptatibus: quod quia fieri non potest, vni peccato adhæret, cuius iam seruitio astringitur, & cuius imperio auscultat, à quo statim ad suos ablegatur. Animo in suem muratus est, quæ volutatur in cæno, postremò eò venit, vt pascat porcos, hoc est, pecuinis cupiditatibus omnem voluptatem concedat, quo fit, vt in peccati & diaboli seruitutem redigatur. Is nanque ciuis & incola est peregrinae regionis, quod nomen illi optimè cōpetit, quando quidem in peccatis ita obcæcatus est, vt non ex ignorantia aut infirmitate, sed ex improbitate & mala cupidine delinquat.

Alioqui etiam homo per peccatum in alienam venit regionem, quam tamen inhabitat, non tanquā ciuis, sed tanquā aduena, vt qui perpetuò permanere non proposuerit, quique non studio admittit aliquod peccatum, & qui fugam meditatur, simulatque licet, errorēque agnoscit. Hoc quoque differunt peccata hominis, à peccato mali spiritus. Homo peccat & cadit, sed resurgit, quapropter hospes solum est, in peregrina terra. Diabolus verò peccat, & peccatis immoratur nec malefaciendi finem facit, qui idcirco ciuis peregrinae regionis non immeritò appellatur. Etenim hospes solummodò illic transit, non diu in vno loco cunctatur. Ciuis autem non facillè mutat suam regionem.

Malus itaque spiritus Ciuis est, cui filius prodigus miserrimus peccator adhæret, & tametsi,

antea quoque adhæserit, nunc tamen tōrum se illi tradit & peccati fit mācipium, neminem posthac veretur, nihil non impietatis exercere audet, ita secum tacitè loquens & cogitans: Edamus & bibamus, cras enim moriemur, & existimans se percussisse fœdus cum morte, & cum inferno fecisse pactum.

Sed qualis tandem apud nouum dominum, & nouæ seruitutis conditio est? Ciuis (inquit Christus) misit illum in villam suam, vt pasceret illic porcos, hoc est, non patitur illum esse in ciuitate, vbi honestè & ciuilitè viuatur, sed in villam ad porcos eum relegat, negotiis secularibus ita eum implicans, vt expedire ex iis sese non amplius possit. Hæc est villa ipsius: carnalibus deinde ac pecuinis eum inescat voluptatibus, à quibus auelli difficillimè potest, facitq; vt cupiat quibuslibet vel siliquis, quibus porci vescuntur, saturari, hoc est, vt homo miser in flagitia quæque fœdissima agatur, vt nihil aliud cogitet, loquatur, faciat & appetat, quàm quòd terrenum est, temporale & carnale. Et quanquam illas siliquas immodice voraret, nemo tamen erat, qui illum tali pabulo explere potuisset. Quanto enim largius eas comedebat, tantò magis & auidius desiderabat. Et nemo illi dabat (inquit Christus) Vide, ad hanc conditionem descendit, quisquis Deum refugit. Vnde Dauid non temerè dixisse comprobatur, Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quod etiam Hieremias suo populo inculcare voluit, vt ait: Scito & vi-

Psal. 48.

Hier. 2. d.

de,

de, ò filia Sion, quia malum & amarum est reliquisse te dominum Deum tuum. Iuxta eandè sententiam loquitur Baruch: Quid est, quòd in terra inimicorum es: inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum. Dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtiq; in pace super terram.

O' periculosam, perniciosam, ò atram famem, quæ hominem eò compellit! O' hominis incogitantiam, qui cum à Christo magno emptus est, & libertate donatus, seipsum in peccatorum & diaboli seruitutem dedat, eò redactus, vt in limo & cœno diabolo morem gerat, cum suis victimis, quibus seruit potius quàm imperat. Quid hoc homine calamitosius & miserabilius? Conferte obsecro hunc præsentem miseri peccatoris statum cum illo priori. Antea patrem habebat, nunc habet dominum, sed quid dico dominum? imò Tyrannum: antea liber erat, nunc seruus est: antea omnium rerum copiam habebat, nunc omnium inopia laborat: antea apud filios Dei vixit, nunc apud suos viuunt: antea in domo patris deliciabatur, nunc in villa rusticatur: antea cibo angelico vescebatur, nunc siliquas vorat, nec eas ad saturitatem vsque.

Hæc perpende ò homo, & caue à Deo discedas vel latum vnguem. Hæc in memoriam redeant tibi ò peccator, quando in peregrina regione tibi videris esse, quando conscientia indicium tibi dat, te à Deo alienatum esse, quando famem spiritualem ingruere sentis. Pœniteat te tuæ stultitiæ,

d 5

Baruc. 3. 6



pertinaciæ & confidentiæ. explica te simulatque pores, ad patrem reflecte gradum, ne moram trahes, quod fecit filius prodigus, culpam admissam simpliciter confiteri ne te pudeat, de Dei misericordia ne diffidito, scito illum tibi patrem esse. Et si cõtingeret tibi subire in mētē, quàm indignè offenderis Deū, ne tamen despera, ne propterea maiori cum ignominia ad peccatum accēdere, ne denique peccati & diaboli potestati te totum resigna, cui nihil aliud studio est, quàm vt quos semel apprehendit, omnino pessundet & in sempiternum extinguat. Conuertere ad Dominum Deum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. In summa porcis suas relinque siliquas, & rursus panem vitæ affecta, quem haud dubiè inuenies & consequeris.

Iohel. 2. 6.

QVINTVS SERMO, DOMINICA quarta Quadragesimæ habitus.



XPVS VOBIS superiori sermone in parabola de filio prodigo, quid Christus nobis voluerit insinuare per ea verba, vbi inquit:

Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhesit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.

Omnia hæc (inquam) verba aliud nihil sunt, quàm speculū quoddā, in quo cernitur peccatoris miseria & calamitas. Nemini videri mirū debet, cur Christus hoc ad eò perspicuè indicare voluerit.

rit. Siquidē summè necessariū est, principiū est ad pœnitentiam, atque id eò fit, vt eò citius resurgamus, & peccatorum nauream cõcipiamus. Nā qui eò loci peruenit, illi haud fuga differenda est, si modò fugere & elabi datur. Fieri enim frequēter solet, vt quando impius in profundum peccatorū delapsus est, nihil amplius neque Deum, neque animæ suæ salutem pensū habeat, nec curæ illi quicquid quàm est, quod ad vtilitatem ipsius pertinet.

Prov. 18. 4

Quod Christus in hac parabola anteuertere voluit, & ostendere, nulli etsi non dicendorum criminum reo, minimè tamen desperandum esse, postquàm videt filium prodigum, post tantā ingratiudinem, post tantam lasciuiam, post tot patrata scelera, nihilominus tamē rediisse in gratiā.

Eam scilicet ob causam nullius frugi filij exilium & transgressionem, peccatum & pœnā, Christus tam expressè voluit declarare, vt vnusquisque secum cogitet. Hic post tam grauem casum tantis restitutus est honoribus, non dubitabo igitur & ego, quin Deus si ad ipsum ex intimo corde conuersus fuero, sua me quoque dignabitur gratia. Istud est, quod hic molitur Christus, hoc ipso sola timor & spem omnibus iniicere voluit.

Vbi obseruare & expendere imprimis conuenit, quòd abiectissimæ seruitutis conditioni hominem peccatorem comparet, porcorum videlicet pastori, & quòd non pluris faciat, nec alio, nisi siliquarum nomine dignetur, totū illud, quo peccator animi sui cupiditatē conatur explere. Quod sanè vtrinque vero quàm proximè accedit.

Cur homines & simus & appellemur, neminem cum

Gen. d. latere arbitror, nempè quòd secùdum imaginem Dei creati simus, intellectu, voluntate & memoria præditi. Porrò vnde Christiani vocabulum acceperimus, nulli obscurum est, videlicet à spiritu, quem in corda nostra mittit Christus per regenerationem. Quod si iam neque rationem, neque spiritum sequimur, sed sensum & prauas cupiditates, quæ luto semper & omni peccatorum spurcie gaudent, indignos nos facimus tam hominis quàm Christiani nomine, sed porci meritò appellamur, quos pascimus sensui & mentis leuitati morem gerèdo. Communis enim nobis profectò est cum cæteris animantibus sentiendi facultas, cui si seruimus, brutis certè seruimus, vel

Matt. 8. d. potius nos ipsi bruta aut porci sumus. Huc iam spectat, quòd mali spiritus, eiiciente illos Christo ex homine obsessio, ferebantur in porcos. Quod illi homini tum factum est, nobis omnibus factum esse existimare debemus. Christus malum spiritum ex animabus nostris exegit, qui deinde in suos migravit, hoc est, in sensus externos, qui turpitudine semper delectantur, nec vnquam voluptate externa & peccatis possunt expleri. In hanc sententiam Paulus de seipso loquitur: *Rom. 7. d.* Condelector legi Dei secundum interiorem hominè. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.

Vide hoc est esse porcorum pastorem, rem scilicet præclaram agis, si corpus foues, & nihil quod illud offendere possit, admittis. Porcos pascis, imago in te Dei tibi còtemptui est, corpus nutris, anim

animæ verò esuriem & defectum propellere non curas. Quid tum? & si in pascendis porcis sis diligentissimus, & si corporis curam habeas maximã, & si sensibus tuis externis nullam non concedas voluptatem, tamen nihil aliud sunt, quàm porci, qui nihil vnquam boni appetunt, qui etiam collabuntur, moriuntur, putrescunt instar pecoris. *Matt. 16. d.* Quid prodest homini (inquit Christus) si mundū vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentū patiat? Anima est, quæ nobis curæ esse imprimis debebat: iuxta hanc enim homines nuncupamur, iuxta hanc immortales sumus, quod cogitare homo peccator non potest. Quocirca id Christus per pastorem porcorum nobis in memoriam reducere voluit.

Quod autè siliquas & furfur appellet omnia, quibus homo extra Deū, suis cupiditatibus satisfacere se posse putat, rē ita se habere ipso opere còpertū est. Omne enim quod est in mundo (inquit *2. Ioan. 2. e.*) concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorū, & superbia vitæ. Mūdus nihil voluptate præstantius habet, petulantia & honorum ac bonorum vanitate nihil sublimius, ad quæ filij huius mundi tantoperè certatim contèdunt, propter quæ adeò solliciti sunt, & bella nonnunquam suscipiunt, cum tamen aliud nihil sint, quàm siliquæ. Quamobrem? Eò quòd hominem non facient, sed ventrem solum aggrauent. Quæris quid id fiat?

Ordine rem edocebimus. Voluptas in cibo & potu maximum & præcipuum inter ea est, quæ mundus captat. Sed quamdiu durat illa voluptas? Quamdiu lingua cibum & potū habet, sed statim vbi

ubi illa traiciuntur in viscera, non sunt voluptati amplius, sed oneri & ceu venenum corpori officiant, utpote ex quibus in varia morborum genera corpus incidit. Sic de reliquis omnibus voluptatibus sentiendum est, heu quanti sapenumero constant! Quam multi non solum omnes facultates, sed etiam honores, corpus, & animam denique impendunt, unde præter poenitere nihil ad ipsos redit. Idem dicere quoque possem de superbia, avaritia & diuitiarum ac honorum ambitione. Siliquæ sunt quæ hominem molestant potius, quam iuant. Præterea illis nihil incertius est, hodie relinquenda sunt, quæ heri in nostra erant potestate. Tertio infidelia sunt bona, ut quæ homini sapè exitium adferunt irrecuperabile. Parum erat nullam illinc prouenire utilitatem, nisi quoque hominem in summum discrimen adducerent.

Quæ igitur obsecro nos homines, nos inquam Christianos dementia cœpit tanta, ut veris ac semperternis bonis posthabitis, paleas & porcorum pabulum tanti faciamus, præsertim cum nobilissimè conditi simus, & per Christum ad insignes honores, ac bona electi & vocati.

Cæterum hæc prolixius pertractare libuit, si fortè vel semel recludi possent oculi nostri, ut diaboli & peccati astutiã possemus pernoscere, quæ nos circumueniunt, obcæcant, & ut rectius dicam, in ignominiam & damna maxima pertrahunt nos, coniciuntque. Nam quàm diu oculis capti sumus, tam diu siliquarum amore tenemur, quas pro magnis deliciis habemus, & cibo præstâtissimo, cum tamen non hominis, sed porcorum stomacho naturalis

turalis sit, & conueniat.

Quapropter audi, quid Christus pergat dicere de filio prodigo.

In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!

Secunda pars hoc loco incipit, quæ ad poenitentia prædicationem pertinet. Audiuimus hætenus, quid inter hominem & Deum discordiam pariat, & quorsum per peccatum homo pertrahatur. Post hac verò audiemus, qua ratione & quibus mediis homo exilium effugere & Deo reconciliari possit. Quod quidem Christus pulchrè & apertè ostendit, quamuis id paucis verbis, quorum tamen nullum est, quin emphasin quandam & pondus in se contineat.

Primò nanque non sine causa dictum est à Christo: Et in se reuersus. Hinc enim liquet, quid de peccatore scriptura sentiat, haud secus videlicet, quàm de ebrio, insano & obsessio homine, sic enim de eiusmodi hominibus loqui solemus. Non est sui compos, quod de illo dicitur, qui aut nimio potu obrutus aut mente captus est, aut quem malus spiritus obsedit. Nam tum multa effurit & facit, quod profectò facere nunquam in animum induceret, si ieiunus & sanæ mentis esset. Contra verò, quando omisissis ineptiis facit & loquitur, ut hominem sanum decet, de illo fertur, In se reuersus est.

Quoniam verò Christus ipse hæc vocem usurpauit, quid aliud innuit, quàm quòd filius prodigus, cum pa

cum patrem suum desereret & peccatis solū suāque prauæ voluntati obsequeretur, ab homine ebrius, infans & dæmoniaco nihil distiterit. Quod tamen non de isto tantum, sed de omnibus, qui simili modo à Deo recedunt, accipiendum est.

Et hoc ipsum est, quod vterque Christus simul & Stephanus de peccatoribus dicunt: Nesciunt quid faciunt. Quapropter, quotiescunq; tibi obuius fit homo potus, mentis inops, & qui à dæmonio agitur, tui fac memineris. Nam haud secus coram Deo & mundo ineptis, quàm diu cupiditatis & propriæ voluntatis studio duceris.

Eam nimirum ob causam Deus horrenda & omni commiseratione digna in nostris fratribus aliquando edit exempla, quò ipsi nobis notiores fiamus, & vnusquisque secum cogitet, talem se esse, quando plus affectibus, quàm rationi aut verbo diuino tribuit, tali quoque se infamia notabile esse, & cum omnibus notus sit, sibi soli ignotum esse, & cum cæteri condoleant, se sui mali ac miseriam solum expertem esse. Si ò Domine res adeò stupenda est, corpus hominis à dæmone occupari, quantò horribilior censeri debet, animã in ipsius detineri potestate? Si ridiculum est & indecens id, quod homo ex ebrietate vel loquitur aut facit, quantò maiori illi vertitur vitio, quod ex animi cupiditate admittit? Si res dolenda & miserabilis planè est, hominem furore percitum esse & mente captum, quantò infeliciores existimari debet, hominem nec secundum rationem, nec secundum verbi diuini eloquium viuere?

En hæc consideranda tibi præbet vocula ista.

Et in

Et in se reuersus: O beatum illum hominem, qui ex spiritali ebrietate, infania ac potestate diaboli ad se redit. Sed nil in vniuerso orbe rarius, quod nunquam fit sine Dei in nobis operante gratia, cui locum dare nostrarum partium est. In Deo mora non est aut defectus, satis occasionum nobis præbet, pectora nostra maturè satis pulsata, at non est nobis curæ, susq; deq; ferimus, quid Deus nobiscum fieri velit. Quare exemplo nobis sit filius prodigus.

Duo erant, quæ ad sese redeundi occasionem illi dabant. Misericordiam suam spectabat, & paterna domus in mentem veniebat. Primum faciebat, vt sibi displicere, propter stultitiam suam inciperet. Alterum spem dabat, quò minus desperaret. Necessitas eum impellebat. Spes verò ducebat, quæ vtraque in causa erant, vt in se reuertetetur, fugeret & odisse inciperet, quæ magno studio antea flagitauerat, flagitare quæ antea fugeret. Ego hic fame pereo (inquit.) Hæc erat quæ illum urgebat necessitas, ac ea quidem de causa Deus illum famem scire tantoperè voluit, vt impelleretur, cum alioquin ad meliorem mentem nunquam fuisset reuersus. Et hæc admonitio quædam fuit.

Ita Deus Opt. Max. nos mortales pœnis & plagis quibusdã externis adigit, vt ad ipsum reuertamur. Vexatio dat intellectum. Eundem quoq; in modum Israelitæ quondam temporibus Helia fame incredibili ad Dominum reuocabantur.

Atque istud vt plurimum pœnitentiæ principium esse solet, vt Deus minis ac pœnarum graui-

c



Luc. 23. e
Act. 7. 8

Esa. 28. e

3. Reg. 18.



tate, timorem nobis incuriat, ne peccatorum obliuio nos capiat. Tale Ioannis Baptistæ auspici-
 cium erat, securim aut vt melius dicam, gehennâ peccatoribus minabatur. Idem à Petro facti-
 tatum videmus in prima concione, qua ita per-
 culsi fuere Iudæi, vt omnes interrogarent, quid fa-
 ctu opus esset. Paulus non sine magno terrore
 Act. 9. a humi prostratus est, cum ad Euangelij prædica-
 Exo. 20. a tionem vocaretur. Postremò Deus ipse ita mor-
 talibus innotescere voluit, cum legem ferret, quæ
 Euangelium præcessit. Per legem enim detege-
 bat nobis ac manifestabat peccata nostra, extre-
 mæ suæ sententiæ ac iudicij metu nos territabat,
 vt peccata meritò nobis exosa esse debeant, &
 nunquam in iis quiete frui queamus.

Istud, inquam, pœnitentiæ principium est, pec-
 cata primò nobis perspecta sint oportet, ac dein-
 de cordi metus iniectus, quod nisi sit, pœnitentia
 vera sperari non potest. Principium dico ad pœni-
 tentiam est, peccatum cognoscere, & præterea
 metu affectum esse. Verùm non his solum parti-
 bus pœnitentia vera adimpletur. Quid igitur am-
 plius ad eam requiritur?

Audi, quæ filius prodigus pergit dicere: Quan-
 ti mercenarij in domo patris mei, qui abundat pa-
 nibus! Hic vides, quomodo suam miseriam dere-
 stas, patris respicit benignitatem, nec illi profuis-
 set quicquã dicere: Fame hic pereos, quin ad despe-
 rationem potius inferuisset, nisi patris clementia
 succurrisset memoria. Verùm non parum solatiij
 adferbat recordatio paternæ domus, & patris in
 peregrinos quosq; ac mercenarios beneficentiæ.

Hæc

Hæc res illi spem dabat haud vulgarem. Et hoc se-
 cundum est, quod ad pœnitentiam spectat. Non
 enim sufficit, peccatum & Dei irâ videre, atq; ob
 eam terreri, tremere, plâgere, ac mœrere, sed spe-
 rare quoq; necesse est, & per spem diuinæ gratiæ
 animum resumere. Nam alioquin desperandum
 nobis foret. Quap̄ opter etiâ Deus nobis post le-
 gem Euangelium cõmunicauit. Sic Ioannes quo-
 que, cum peccatores ad pœnitentiam accerseret,
 errorum illos ac extremi iudicij cõmonefaciens,
 digito demonstrabat Christũ. Ecce (inquit) agnus
 Dei qui tollit peccata mundi. Ioan. 1. d

Diuus Petrus, postquam vehementer perter-
 refecisset populum, exostulando cum illo de in-
 gētibus facinoribus, quæ in Christum promissum
 suum Mesiã designarat, incepit rursus eum con-
 solari. Diuus Paulus, cum quasi fulmine ictus ad
 terram concidisset horribili voce (Saul quid me
 persequeris?) tandem verbis animatus est cõsola-
 toriis, quæ sic de cœlo ad ipsius aures ferebantur.
 Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi,
 quid te oporteat facere. Vbi illa duo concurrunt.
 Agnitio peccati & fides in misericordiam Dei, ti-
 mor & spes, ibi facilè homo respiscit, quod clarè
 in filio prodigo cernitur, qui statim ad repeten-
 dam patriam sese accingit. Acto. 9. a

Verùm vtrumque Deus in nobis operatur. Ne-
 mo adeò perspicax est, vt peccata sua intelligat, ni-
 si Deus illi aperiat oculos, nemo credere potest,
 nisi datum illi sit diuinitus. Christus Paulum pro-
 sternebat, quẽ ipse rursus erigebat. Nõ sufficētes
 sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. 2. Cor. 3. b

Deus peccatum nobis per legem patefacit, peccatum per spiritum suum reprehendit, utrunque nobis metum ac spem immittit, metu nos impellit, spe gratia ducit.

Nemo tamen adeo impudens esse debet, ut astit dicere: Si omnia à Deo proficiuntur, quid restat ut ego faciam? quis culpam aliquam in me trāferet, si in peccatis permaneam? Non est volentis, neque currentis, sed miserētis est Dei. Non sic fratres charissimi. His atque id genus sacra scripturæ locis sese excusare quidem conantur filij huius mundi, sed non nisi sibi ipsi insidias struunt. Nam Deus gratia nos sua semper præuenit. Ecce isto (inquit) ante ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, &c.

Deus nunquam desinit adhortari aut monere, nunc per verbum suum, nunc per internas inspirationes, nunc per exempla, nunc per pœnas. Admonitiones sunt, quibus nobis offert suam gratiam. Qua de re nemo unquam iure dicet, sibi gratiam præclusam esse. Nisi benignitatem Dei scriptura tantis præconiis commendaret nobis, videremur non iniuria nostram prætereferre infirmitatem. Iam verò omnibus notum est, quàm Deus omni tempore paratus sit, nostram infirmitatem gratia sua fulcire, nisi obstaculum nos ipsi interponeremus. Non vult mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat. Huic accedit quod Paulus habet in epistola quadam. Deus (inquit) omnes homines vult saluos fieri.

Quocirca etiam scriptura passim docet, Deum in nul

in nullam rem tam acriter animaduertere, quàm si gratia ipsius respuatur. O Ierusalē (inquit Christus) quoties volui cōgregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas suas, & noluit? Iuxta eandem sententiam loquitur quoque Dauid de peccatore: Dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Ab hoc non dissonat id quod Paulus in suo sermone ad Iudæos dicit: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicastis aeternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes.

Nulli itaque mirum videri debet, si alius respiscat, alius verò non. Sol splendorem suum in omnes mortales æquè porrigit, quem tamē videre non omnibus cōtingit. Ita quoque gratia Dei omnibus iuxta parata est & obuia, sed non omnes eam expetunt & amplectuntur. Qui igitur utriusque, ut dicitur, vlnis gratiam sibi oblataam acceptat, is casum peccatorum emēdat, & vitam in melius instituit. Qui verò eam repudiat aut flocci facit, is sibi interitum sempiternum paratum existimet. Deus illuminet omnium nostrum oculos, ne unquam obdormiamus in morte, & ne quando dicat inimicus noster, præualui aduersus eos. Amen.

SEXTVS SERMO, QVIN-
ta Dominica Quadragesimæ habitus.



Vdiuimus proximo sermone, quæ filij prodigi fuerint cogitationes, postquam diuinitus illi oculi essent reclusi, ita ut simul videre posset miseriam ac inopiam suam, contra verò aliorum felicitatem



Ioh. 4. c.

Rom. 9. d.

Apoc. 3. d.

Ezech. 18. e.

1. Tim. 2. b.

Matt. 23. d.

Psal. 108.

Act. 13. g.

Psal. 12.

& rerum abundantia. Quanti (inquit) mercenarij sunt in domo patris mei, qui panibus abundant, ego autē hīc fame pereō. Quā verba satis magno indicio sunt, quid animus illi suggererit, & quā arctum laqueis Diaboli sese irretitū conspexerit.

Trifariam enim homines in Diaboli sunt potestate. Alij non suapte sponte, vt infantes sacro fonte nondū tincti, qui arbitrij libertate vti nondum possunt, qui nihilominus tamen filij irē sunt, propter peccatum, quod per primos nostros parentes in omnes propagatur. Alij suapte sponte diaboli imperio subiecti sunt. Nam vtrō in peccatum sese coniiciunt, vtrō in iis permanent, cum tamen si integrū illis esset, facillē id declinare possent. Alij denique nihil magis exoptant, quā diaboli liberari potestate. Verū adeo peccandi consuetudine corrupti sunt, vt vel inuiti in sordibus hærere cogantur.

Atque hi sunt, qui per filium prodigum significantur. His tales in mentem veniunt cogitationes, hi tales gemitus & suspiria adunt. Quanti mercenarij sunt in domo patris mei, qui panibus abundant, &c. Nam si quos alios conspiciunt, qui tam grauem non sunt passi casum, vt ipsi opinantur, statim secum cogitant. Vtinam aequalis tibi cum illis esset probitas. Vtinam tam esses tibi benē conscius, vt hic vel ille, quem conscientia non torquet, qui Deum elementem ac propitium habet, qui panem in satis magna copia habet, cum tamen non rarō fiat, vt is, cuius probitatem miser peccator vsque adeo admiratur, coram Deo vix mercenario æquandus sit, eò quod non eterna respic

respiciat, & Deo tantum seruiat propter huius mundi diuitias, nec præmium aliquod æternum expectet.

Attamen beatum sese existimaret miserimus peccator, si modò qua vtitur talis mercenarius, & sibi ea commoditate vti liceret. In tantas eum conscientia cogit angustias, ex quibus explicare libenter se velit. Sibi soli omnium pessimus videtur ac miserimus, se solum contemptum iacere putat, omnium fortunam suā præferr, neminem non se meliorem iudicat, omnes optimè contentos opinatur, non aliud sibi maius precatur, quā vt infimum saltem gradum securitatis possit cōsequi, quæ est in domo Dei. Quo modo consecuto, indignum putaret, ad maiora aspirare, quādo hic gradus sibi posset satisfacere. Quanti (inquit) sunt mercenarij in domo patris mei.

Reliqui Christiani omnes in portu nauigant, omnes in maiore degūt securitate, quā ego, qui tamen mercenarij sunt, nihil tamen illis deficit, nulla panis anguntur penuria, consolationem à Deo habent tam temporalem quā spiritualem, ego solus hic fame pereō.

Vide his cogitationibus conscientia perturbatur peccatoris, qui in lucem tam profundā lapsus est, sed sine ingenti animi dolore arque molestia fieri non potest, quando homo conspicit, se in locum tam profundum deiectum esse, præsertim si nulla consolatio diuinitus accedat.

Obseruandū hīc obiter est, nō omnes filios Dei esse, qui in domo patris aut permanent, aut sunt, quiq; non propter hæreditatē, sed propter mer-

ce dem seruiunt. Citius decem inuenias, qui Deo propter huius mundi tantum bona aut ex formidine quadam seruiant, quam vnum qui seruiat Deo, propter se ipsum ex amore & filiali timore.

Quamobrem exilis illa gloria est, manere aliquem in domo Dei, si non filij, sed serui conditionem subeat. Nam seruus non manet in domo in æternum, tamen si annos complures seruiat. Nihilominus tamen satius est, aliquem seruum & mercenarium agere in domo Dei, quam profusus extorrem fieri. Etenim seruus & mercenarius habet, qui ei victũ suppetit, cum ille contrã egeat & fame perire cogatur.

Hic interim notabis: Si Deus aded bonus est, vt mercenarios, hoc est, eos, qui non ex charitate, sed ex metu aut alterius temporalis commodi gratia aliquid boni faciunt, sua mercede non frustrerur: quo pacto filios suos frustrabitur si quid rectè & benè operantur? Si seruis omnium rerum copia suppetit, in domo Dei, quid putas filiis deesse posse?

Age, audiuius, quomodo filius prodigus in se fuerit reuersus, posthac audiemus, quomodo ratione sua vsus sit. Deus illi oculos aperuerat, quæ prima illi gratia præstita fuit. Nunc audi, quomodo vtilem sibi eam gratiam fecerit.

Primò, vt modò auditũ est, ipse sese reprehendit, & tanto tempore in difficilima & foedissima seruitute tantum famis & miserix perpressus esset, & adhuc pateretur, cum tamen aliis in domo patris sui seruitute honestissimè ac liberalissimè prouisum esset.

Surgam

Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnũ de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum.

Hoc demum est, quod scriptura in se reuerti dicitur, quãdo scilicet homo tale quiddam cogitat & loquitur, proponit & opere ipso complet. Eius modi rationem, scientiam, sapientiam ac prudentiam docent sacræ literæ.

Quid autem hinc sequetur? Omnes eos, qui nõ ita cogitant & loquuntur, sibi proponunt & faciunt, apud sese nequaquam esse, etsi ab omnibus, sapientia, eruditione, ac ingenio clari habeantur. Quorsum attinet, quòd mundus te ceu verũ prudentissimum suspiciat, cum in rebus spiritualibus & coram Deo non aliter cogitas, loqueris, & facis, quàm solent ij, qui poti sunt, insani, & furis agitati, quorum nullus apud seipsum est, nullus videre potest, quid bonum & honestum sit, quidve malum & turpe? Quæ illa prudentia est, si in rebus externis omnibus consilio prodesse potes, tibi verò in iis, quarum maximè referebat, & carcutis & hallucinatis? Miserere animæ tuæ (inquit Sapiens) placens Deo.

Ecc. 30. d

Hinc iam veram discamus sapientiam, & ad quid rationem ac intellectum nostrum adhibere debeamus. Surgã (inquit filius prodigus) quo verbo abundè indicat se lapsum esse, cum non nisi lapsi surgere dicantur. Et ibo (dicit) quo ingenuè fatetur se hæctenus sterisse, aut potius terga dedisse. Ibo ad patrem meum (ait tertio) Quo declarat se

c 5

hactenus in manu Tyranni fuisse. Primum istud argumentum est, ex quo intelligi potest, quod in se reuersus sit. In peccatis cunctari amplius animus non erat, peregrinæ regionis eum cœperat societates, diabolo seruire iam tædebat. Surgam (inquit) & ibo ad patrem meum. O pium animi conceptum! Istud erat verum principium ad pœnitentiam, ad gratiam, ad salutem. Nec aliud certè fuisse credendum est, quàm gratia Dei cooperans.

Videri quidem posset propriij ingenij & voluntatis studium esse, sed reuera Dei opus est. Nunquàm enim hoc cogitare homo aut in animu inducere posset, siquidem videmus, quàm tardi ad vitæ emendationem simus, licet nos Deus malis & calamitatibus infinitis exerceat & premat. Quis est, cui vitia, & vita flagitiosa nauseam adhuc conciliarit? Quis est, quem in vltimis regionibus, hoc est, in mundo degere pigeat, vnde fides omnis explosa est, & boni amor? Quis est, quem pudeat, quod tanto tempore Diaboli porcis præfuerit, & in summa vitæ turpitudine siliquas vorarit? Nullus profectò est, quippe non caro, aut sanguis tales suggerit cogitationes. Deus est, qui eas operatur & gignit in homine.

Matth. 16. c Carnis & sanguinis proprium est, vt peccatorem auocet à Deo, vt autem respiscat & in cõcordiam cum Deo redigatur, nusquàm nõ gratia adsit oportet, hæc prora & puppis, vt dicitur, nostræ reconciliationis est. Perditio tua (inquit Deus) tantummodo in me auxilium tuum. Caterum quibus modis Deus suppetias ferat peccatori, pulchrè in filio prodigo videre licet.

Pri

Primò Deus oculos illi aperiebat, vt cernere posset, quo in loco suæ res essent, & quarum rerum damnum esset passus. Hæc erat gratia præueniens.

Quod cùm altius mète pertractaret, primamque gratiam arriperet, pium in illo Deus excitabat propositum, ita, vt iam cogitaret sibi diutius eo in loco non esse hærendum, sed fuga quærendã esse meliorem fortunam, quoniam ex tali vitæ genere tædium conceperat. Atque hæc quidem gratia erat incitans.

Cùm iam propositum istud ipsius animo penitus infedisset, maiore etiam deinde eum Deus gratia donauit, vt id quod proposuerat, ipso opere cõpleret, & hæc erat gratia cooperans. Surrexit (inquit scriptura) & venit ad patrem suum. Ad hæc gratiam quoque accepit iustificantem, qua iustus quis redditur, in eo quod pater cadebat super collum eius atque eum osculabatur.

Postremò accepit etiam gratiam consummantem aut perficientem, qua homo perfectus fit, in eo, quod pater iuberet illum vestiri atque cibari.

Quæ omnia ex hoc intelligere possumus, atque id eò dico, vt cognoscamus non nisi gratuitò fieri, quando de peccatis ad Deum cõuertimur, nec est, quod quicquàm nostris viribus aut arbitrio ascribamus. Maximum, quod in hoc liberum arbitriũ præstat, est, quod gratiæ obtemperat, gratiam amplectitur, atque eam sibi vtilem facit, cùm alioquin serò vel nunquàm per arbitrij nostri libertatè de peccatis possemus surgere, si nos deficeret gratia Dei, & non cooperaretur nobis, tam in principio, quàm in medio & fine.

Attamen nostra quoque voluntas accedat necesse est: Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te (inquit Augustinus.) Item Paulus: Nō ego, sed gratia dei mecum.

Hęc verissima esse comprobantur in filio prodigo, in quo præcipuè Dei gratia valebat & operabatur, ita tamen vt & ipse suam operam adderet. Surgam (inquit) & ibo ad patrem meū. Ecquid amplius? Sequitur:

Et dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te, &c.

Principiò considerabis, quomodo nomen patris primo statuerit loco. Vnicum & summū hoc illi restabat solatium. Fiduciam suā in nihil aliud collocare poterat, quàm in hoc vocabulū patris. Ea quoq; de causa Christus vult, vt in nostris orationibus patris præmittamus vocabulū. Quādo oraueritis (inquit) sic orabitis: Pater noster qui es in cælis &c. Eā videlicet ob causam Christus pater Deum appellat patrem nostrum, vt eò audacius eū accedamus. Ipse pater (inquit) imat vos. Et iterū: Scit pater vester, quia his omnibus indigetis.

Secundò obseruabis hic, quas humanæ menti cogitationes fides ingerat. Dicam (inquit) Pater, peccaui, nec vulgariter, sed suprā quàm credibile est, & in cœlum peccaui, non me tibi purgabo, sed simpliciter confitebor me indignum omni gratia. Mihi satis erit, & hoc tantū rogabo, vt habeat me eo loco, quo habet vnumquemlibet ex infimis & mercenariis suis. Istud erat ipsius propositū, istas cogitationes non indit natura, sed fides & gratia.

Hęc

Hęc enim omnia cum natura quasi ex diametro pugnant, quæ difficulter adduci potest, vt dicat: Peccaui, aut vt submittat sese, & indignam iudicet, cui aliquid beneficij contingat, sed primas semper tenere vult, magnique haberi postulat. Quod si filius prodigus suum ingenium & naturam secutus fuisset, ita dicturus fuerat: Dicam patri meo: Non satis intellexi, non malo dolo feci, quapropter in locum filij me recipe, equum est, vt mihi præ cæteris nulla affinitate tibi coniunctis beneficias &c. Ratio ipsius tale datura erat consilium, cui si obtemperasset, dici non potest, quantū ei obfuisset. Hac enim oratione patrem magis ad vindictam prouocasset, quàm quòd reddidisset eū exorabilem. Quam ob rem aliud Deus & fides vt cogitet, ei suadent.

Nam peculiaris cum Deo aut coram Deo agendi ratio est. Apud homines quidem non parum ad defensionem facit, crimen inficiari, occultare, aut quocunq; modo excusare: at contrā si criminis confessio fit, non tantum causa deterior redditur, sed reo certissima mors impendet, nam secundū confessionem ipsius, sententia pronuntiatur. Mirum ergo non est, si coram iudicibus hominibus sui criminis confessor nemo libenter esse velit, sed confessionem pœnis ac tormentis eliciendam esse.

Verum si coram Deo res agenda est, nihil prius neque melius est, quàm culpam admissam aperire & confiteri, quod quātò fit simplicius & humiliter, tantò citius in gratiam redditur, cuius rei non ignarus erat filius prodigus, atq; ideo sic secum loquebatur: Dicā: Pater, peccaui in cœlum & coram te: iam

iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Hæc proxima erat ad consequendam gratiam via: hoc facere cogitabat, quod perficendi haud moram interponebat.

Surrexit (inquit scriptura) & venit ad patrem suum. Omni certe laude dignum est: alioquin quid magni præstat, qui in proponendo sibi multa præclara nullum finem facit, quæ tamen nunquam aggredditur, sed de die in diem differt. Hic autem secus facit, sed illico surgit, & ædes paternas repetit. Nã periculum est in mora. Qui sentit iratum se habere Deum, ne ferietur, ne cesset, præsertim cum nesciat, si superi hodiernis crastina adiiciant. Ambulate dum lucem habetis (inquit Christus) ut non vos tenebræ comprehendant. Dũ tempus habemus (inquit Paulus) operemur bonum. Nouissima hora est, ait Ioannes. Itẽ Esaias, Quærite dominum, dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est.

Ioan. 12. c

Gal. 6. c

1. Ioã. 2. c

Isai. 55. b

Ex quibus manifestum euadit, omnia verba filij prodigi, verba esse fidei. Qua fronte alioquin in conspectum patris redire ausus fuisset, nisi benignitas & misericordia illius, fuisset ei perspecta? Vnde autem fidem hanc illum hausisse credis?

Primò ex eo, quod antea fuerat expertus, viderat & audierat. Secũdò ex eo, quod pater suus seruos & mercenarios honestè haberet. Tertio idque potissimum ex eo, quod cogitaret se filium esse. Ex his (inquam) talem fidem & spem hausit, ut diceret. Surgam, & ibo ad patrem meum. Non parum sanè ad rem facit, si peccator spem possit concipere, qua quandiu caret, non potest surgere, vel si surgat aut peccare desinat, non tamen ad Deum

con

confugit, sed longius à Deo recedit, quemadmodum Adam fecisse scriptura perhibet. Qui verò eò peruenit, ut credat & speret, imperare sibi non potest, quin dicat. Surgã, & ibo ad patrem meum. Item: Pater peccaui, & c. Quocirca necessariũ imprimis est, ut fidem & spem concipiamus, quod factu haudquaquam difficile nobis esset ex promissionibus, quas pœnitentia in scriptura habet.

Non sunt maiores vel etiã certiores vlla in re promissiones, quàm in pœnitentia, quas ex sacris literis quiuis sibi potest & debet colligere. Qui verò id non potest, is vnicã hanc promissionem memoriæ mandet. Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis (inquit Deus) omnium iniquitatum eius non recordabor, sed vita viuet & nõ morietur. Nolo enim mortẽ peccatoris, sed ut cõuertatur & viuat. Et rursus: Repentẽ loquat aduersus gentem & aduersus regnum, ut eradicem & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam:agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei. Item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Ex his atq; id genus aliis sacre scripturæ locis, qui non rarò occurrunt, spē & fidem tibi hauri, imitare filium prodigum, ne abiterreare multitudine & grauitate peccatorum. Dic & cogita: Surgam, & ibo ad patrem meum & dicam: Pater, peccaui. Quod si feceris, certò tibi persuade, Deum tibi fore patrem, tametsi grauius à te illum offendi contigisset. Quod ita se habere ex iis, quæ in parabola sequuntur, apertè comprobabitur.

Genes. 3. b

Exec. 18. e

Hier. 18. a

Zach. 1. a

SEP

SEPTIMVS SERMO IN
die palmarum habitus.

HACTENVS audiuius, quàm com-
modè filius prodigus in rectam redeū
di viam sese attemperarit, Dei gratia
illum moderante. Primò ipse sibi di-
splicebat, suimet existerat reprehensor, quòd ad
iram patrem prouocasset, & ex ipsius ædibus pro-
fugisset, alium eumq; barbarum quarens domi-
num, & subulci prouinciam suscipiens, cum tamè
alij in domo patris sui seruitutis munera obirent
honestissima & diuite mercede gauderent, nulla
cùm cibi tum potus inopia laborantes, sibi verò
nec siliquarum, quibus saginantur porci, parata
esset copia, vt stomachum latrantem posset com-
pescere.

Isud erat conuersionis ipsius principium, ista,
inquàm, illius contritio erat, quæ oriebatur par-
tim ex consideratione propriæ miserix, qua præ-
mebatur, partim ex consideratione omnium bo-
norum abundantix, quam in paternis ædibus con-
spexerat. Quæ duo cum concurrerent simul, vera
illinc nascebatur contritio, quæ illum à Deo non
disiungebat, sed Deo faciebat coniunctiorem. Ve-
ra enim contritio illa non est, quam parit pecca-
torum enormitas, & horror diuini iudicij, cui pec-
cator omnis sistendus est, talis inquàm contritio
magis diuellit hominem à Deo, quàm quòd illum
Deo conciliet, iramque Dei mitiget, quemadmo-
dum Iudas proditor exemplo nobis satis est, qui
pœnitentia quidem ducebatur, quòd Christum di-
uendisset, sed quoniam pœnitentia ipsius solū ex
con

Matt. 27. a

consideratione peccatorum & diuini iudicij pro-
ueniret, nihil sibi de Dei misericordia polliceri
poterat, nec gratiam rogare ausus erat ad despe-
rationem tandem adactus.

Verùm si præter peccatum & Dei iudicium, be-
nignitatis simul & misericordiæ Dei memores
simus, nec peccator propterea tantum dolore affi-
ciatur, quòd ipse sibi per peccatum condemnatio-
nem & iram conciliarit æternam, sed propterea
potissimum, quòd talem patrem ad iram commoue-
rit, peius illū habet indignitas & contumelia, qua
optimum parentem affecit, quàm pœna, quam fer-
re debet. Hæc demū peccatis contritio digna est,
in qua seruilis timor mutatur in filiale timorem,
aut in qua pulso timore, succedit charitas. Alio-
qui enim si peccata tantum odisti propter formi-
dinem pœnæ, fieri non potest, vt animo verè con-
trito sis, quando quidem ex seruili tantum id fit ti-
more. Et nisi supplicium tibi metum incuteret,
futurum erat, vt nulla pœnitudo animum tuum
solicitaret.

1. Ican. 4. d

Contritio verò, quæ ex filiali timore procedit,
fructus producit haud alios, quàm quos in filio
prodigo cōspeximus, vt scilicet homo dicat: Surgam,
& ibo ad patrem meū, &c. Siquidem hi fructus
sunt, qui ex cōtritione manare solent, qui cum ab-
sint, frustra te maceras, frustra cruciaris, frustra te
conficis peccatorū recordatione. Peccatoris est di-
cere, vbi eum conscientia torquet: Surgam. Hæc
series & ordo procedendi est, vt surgatur per cō-
tritionem & pœnitentiam super peccatis, vt ad
patrem eatur per fidem, vt quis animo sit demis-
s

so, per peccatorum confelstionem, vt quis indignum se iudicet omni gratia, nec tamen dubitandum nobis est, quin Deus nos in gratiam sit recepturus ex bonitate sua ineffabili, & habiturus rationem suæ gloriæ, nō nostri meriti, veluti Dauid inquit: Misere mei Deus secundum misericordiam tuam. Et Daniel, Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciē tuam, sed in miserationibus tuis multis, &c.

Tali modo nos cum Deo agere oportet, si modo gratiæ ipsius non omnino expertes esse velimus. Cor contritum & humiliatum non despiciet Deus. Quod quia verum est, audi, quæ Christus de filio prodigo commemorare pergit.

Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.

Hic tandem Dei sese profert benignitas, hic tandem apparet, quantum in conuersione & iustificatione peccatoris gratia Dei præstet. Hactenus Deus quoque operatus est in filio prodigo, cum alioquin ad peccatorum suorum & exilij agnitionem peruenire non potuisset, nisi gratia Dei præueniens illi oculos aperuisset. Quomodo enim tale propositum concipere potuisset, nisi illum gratia incitans traxisset?

Sed omnia huc vsque testè & clam fiebant. Nemo adhuc virtutem Dei præsentem esse animaduertebat. Nemo gratiæ acceptū fert, quando peccatorum & impuræ vitæ mentem subit recor-

datio;

datio, & quando quis meliorem viuendi ingrediatur viam, Hic autē Dei gratia manifestò sese exerit, in eo, quòd pater filio processit obuiam, & in ipsius collum irruit, atque eum est osculatus.

Verùm Deus quomodo peccatori aliter procedit obuiam, quàm si manū illi præbeat & gratiam largiatur, vt quod facere constituit, in ipsum producat opus? Iuxta quod occurfus talis nihil aliud est, quàm gratia Dei cooperans.

At amplexus & oscula quid præterquàm gratiam nobis aliud referunt, per quam Deus hominem peccatis obnoxium iustorum catalogo asserit, & peccatorum illum exonerat mole? Nam quem Deus amplectitur & osculo dignatur, eum non pro inimico, sed amico: non pro seruo, sed filio: non pro peccatore, sed iusto habet. Dignitatem & honorem peccator maiorem consequi non potest, quàm si Deus illum vtrifq; vlnis excipiat, ac oscula insuper præbeat, amici, filij, & iusti loco eum habens, nec nō omnibus illius peccatis lituram inducens.

Porro quæ peccatoris tanta sunt merita, vt tam honorificè illum Deus exceperit? Responso: Non hic meriti aliqua fit mentio, sed Dei laudatur misericordia. Filij quidem prodigi animus erat multa facere, sese submittere, nihil quæ nō attentare, quòd patrem sibi placare posset. Prius verò, quàm verbum eloqueretur, imò priusquàm ad patrem veniret, priusquàm patrem conspiceret, cum adhuc longè abesset à domo paterna, iam pater omnem iram posuerat, non poterat se continere, quin illi obuiam procederet, non expectabat,



donec ingrederetur domum, non quid sibi vellet rogabat, facile ipse conicere poterat, quid eum moueret, & quæ causa reuersionis esset. Nec expectabat, donec veniam admissi rogaret, sed illico in collum ipsius irruit.

Quo quid aliud nobis demonstratur, quam meram esse gratiæ & misericordiæ, quod in locum, vnde excidimus filiorum restitui mur à Deo? Quæ de causa etiam Christus magnificis, isque non paucis vsus est verbis, ex quibus id valide conuinci potest. Etenim iustificationem nostram & peccatorum remissionem gratiæ Dei ascribere cogimur. Gratiæ (inquit Paulus) saluati estis per fidem (& hoc non ex vobis, Dei enim donum est) non ex operibus, vt ne quis gloriatur. Tale quiddam cecinit Ieremias inquit: Misericordiæ domini, quia non sumus consumpti.

Ephes. 2. b

Thren. 3. c

Quamquam verò nostra quoque opera accedere debeat, & dolor ex intimis animi affectibus profiscens, nec non integra & sincera voluntas ac studiū resurgendi, simplex & minimè superciliosa oris confessio, precum denique seueritas, non tamen nec poenitudo, nec confessio, nec oratio aut externi poenitiæ ritus nos ex peccatis eximere possent, quinimò etsi poenitiæ doloribus nos conficeremus, & ad insaniam vsque peccatis confitendis impenderemus laborem, oleum tamen & operam, vt dici solet, perderemus ad impetrandam peccatorum remissionem, nisi Deus se nobis gratuito condonaturum ea promississet, nisi Christi beneficio, & merito nobis esset procurata salus, & nos sua poenitentia ac meritis impertiret.

Qua

Quapropter summa nobis cura adhibenda est, vt cum poenitentiam agimus, certum scopum propositum habeamus. Christus tot verbis non temere vsus est. Sed quæ tandem illa sunt? Cum adhuc longè esset. Hic iam vides illum nec propter animi humilitatem, nec propter confessionem in gratiam esse receptum, cum neutrum adhuc fecisset. Longè adhuc aberat à suo patre. At pater moram impatiens continuo obuiam ei procedit, quod etiam fieri necessarium planè erat. Alioquin enim facile accidere potuisset, & filio in mentem venire, quod illum potuisset abstrahere, & ad fugam rursus impellere, aut animum ipsius frangere, & in desperationem conicere.

Nam tamen si peccator opus sibi proponat laudabile, gratiæ tamen illi adminiculo opus est, vt ad effectum possit perducere. Inconstans humanum ingenium est, breui momento à bono deflectit, nunc bene faciendi amore quodam singulari tenetur, mox interuenit aliquid, quod boni recordationem è memoria penitus tollit. Nunc magna in Deum fiducia nititur, nunc animo prorsus concidit, & ita se habet, quasi Deo res humanæ nihil sint curæ, vbi profectò semper præsidio gratiæ opus est. Atque hanc quidem ob causam pater ei præcurrit obuiam, ne sit aliquid, quod peccatorem remorari possit.

Secundò, irruit in collum eius, quod paterni amoris argumentum erat, & oscularus est eum, quo declaratur plena & perfecta reconciliatio & prioris iræ obliuio. Quo pacto familiariorem se & magis beneuolum exhibere potuisset? Quid

f 3

illum vt hoc faceret commouit? Vidit filium. Equid amplius? Misericordia motus est. Eadem quoque ratione Deus nobiscum agere consuevit. Porro quod in collum aded nobis irruere solitus sit & oscula figere, mysterio carere haudquaquam putandum est. Collum iungit capiti reliquum corpus, & quasi amicitiae vinculis copulat. Ceterum quid collum aliud est, quo nobis Deum deuincimus & placamus, quam fides? Collum Deus petit, ed quod fide imprimis amat. Fides tua (inquit ad peccatricem) te saluam fecit: & ad Centurionem: Sicut credidisti, fiat tibi. Quod si igitur peccata nostra ingenuè confitemur, dignos certe diuino nos osculo facimus.

Sed tum nobis Deus præbet osculum, quando suæ promissionis verbum, & quod maximum est, Christum filium suum nobis dat & offert. Ad quod quid eum mouet aliud, quam quod miseriam & aduersam nostram fortunam conspiciat? Quomodo miseretur pater filiorum (inquit Dauid) miserus est Dominus timētibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Non propter vos (dicit Deus in Ezechiele) ego faciam, sed propter nomen sanctum meum. Quid multis opus est? Vnica illa voce, quam Christus adiecit. Et pater misericordia motus est, quicquid de Dei misericordia literis proditum est, id totum approbatur confirmaturque.

Hæc iam memori mente pertracta, hinc tibi solatium, spem & fidē cape. Nā propter te talia scriptis tradita sunt, ne desperationis periculū subires. Hic incredibile, gratiæ Dei magnitudinē cernis.

Luc. 7. 8
Matt. 8. b

Psal. 102.

Exec. 36. f

nis. Hic vides, Deo gratius nil accidere posse, Luc. 15. d
quàm si peccatorem sui erroris pœniteat, ob cuius etiam mutatam mentem cœlestis aula gaudio & lætitia tota perstrepat.

Quapropter nullæ artes, nullæ machinæ & insidiæ, nullæ præstigiæ ac tentationes diaboli ed nos adducere debent, vt vinci nos patiamur & herbam illi quantumuis multis modis sollicitati porrigamus. Non te hoc exemplum faller. Non te tot tamque præclare Dei promissiones frustra buntur. Ne admittas illum hominem, qui pœnitentiam eleuet, nec committas, vt in eius sententiam descendas, vt credas post casum ita gratiam omnem sublatam esse, vt reparari amplius non possit, quod olim Nouatiani astruere conabantur, quorum sententia in peccatores aded erat immitis, vt opinarentur, eos homines, qui in grauisima etiam persecutione fidem abnegassent, minimè ad pœnitentiam vel recipi posse vel recipiendos esse, Dei eos cōmittendos iudicio, nullam illis gratiæ spem dari posse. Cuius erroris patrociniū ex aliquot locis Pauli perperam intellectis sumebant. Sed quem eiusmodi doctrinæ genere fructum faciebant, nisi quod multis ad desperationem, occasionem, præberent aut potius impellerent, quapropter etiam non iniuria hærescos cum notati, tam condemnati sunt. Aliud namque Euangelica loquitur doctrina. Christus enim ipse affirmat quodam in loco prædicationem pœnitentiæ, ad finem mundi vsq; conrinuandam esse, idq; suo nomine. Præterea ad Petrum dixit: Non dico tibi vsque septies, sed vsque

Heb. 6. 6
Io. 2. 6 e

Luc. 24. 3

Matt. 18. e

septuagies septies, dimittes fratri tuo. Quæ sanè verba solatium nobis adferunt maximum.

Sed quæris nunc fortasse, quis nobis eius vsus esse possit? An propterea fratri misericordia Dei, peccatis indulgere debemus? Aut num superuacuum est, orationibus vacare, sarcinam peccatorum per confessionem deponere, & infimum se inter infimos ducere? Aduerre, quid fecerit filius prodigus. Nullum amplius iræ parentis signum videbat, ne verbulum quidem audiebat, quo à patre fuisset obiurgatus, comperiebat patrem in se non aliter affectum esse, ac si nunquam ad iram eum commouisset, omnia sibi ignota esse intelligebat, nõ tamen id, quod semel sibi proposuerat, obliuioni dabat, sed animo summisso peccata confitebatur. Pater (inquit) peccaui in cælum & coram te, & non sum dignus vocari filius tuus.

Huius verò spiritus longè diuersissimus est ab eo, quo huius seculi homines præditi sunt, qui Deo etiam dum irato ad poenitentiam & confessionem adduci nequeunt, quid facturi essent proinde, si scirent, Dei in se iram mitigatam esse? At iste non conquiescit. Norat enim simplici & ingenua peccatorum confessione Deo nil gratius esse posse, atque eum laudi ducere, si peccata & iniustitiam nostram vltro detegamus per confessionem, secuti id, quod Iosue olim dicebat, Da gloriam domino Deo Israël, & confitere.

Ios. 7. 6

Vltro quod, tamen si filius prodigus iam peccata sua in corde confessus esset, atque ob id patrem num accepisset osculum, at tamen accusator quoque suus esse volebat oretenus, quo audire etiam posset orete.

oretenus verbum longè optatissimum, beneuolentiam & gratiam significans. Quæ res profectò confessionem nobis quàm commendatissimam facere debet. Non magnoperè disceptandum est, an confessio à Deo instituta sit nec ne. Satis est, quòd hic audis, vtilem eam esse, Deo gratam, nec non ad ipsius spectare honorem. Subindè etiam consolandus es oretenus, si modò velis, vt turbines & tumultus conscientiæ tuæ componantur. Quid igitur vsque adedò cõfessionem extimescis? Iudicium seculare tibi formidandum erat, vbi de suspendio agitur, si semel furtum confessus sis. Alacris ad confitendum Deo accediro, vt pote liberandus magno onere peccatorum. Sed hoc cura præcipuè, vt confessio tua cum fide coniuncta sit, quocirca filius prodigus ita inquebat: Pater, peccaui. Fecit hoc ipsum quidem & Iudas, dum peccasse se non iret inficias, verùm quia Deum patrem credere non poterat, pereundum illi fuit animum despondenti.

Secundò, vide diligenter, vt confessio tua verax sit, solida & omnis excusationis experta. Peccati (inquit) non vulgariter, sed in cælum. Nam homo in omnes creaturas delinquit, sed potissimum in Deum. Quemadmodum David ait: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Quapropter peccator etiam si cuncti illi mortales ignouerint, nisi à Deo quoque ignotum sit, haud placido & tranquillo animo esse potest.

Tertiò, pari diligentia aduigila, vt confessio tua ex humili proficiatur animo. Non sum dignus (inquit ille) vocari filius tuus. Hic planè cer-



nis, quomodo in Deum omnem gloriam transferat. Antea illum patrem appellarat, nondum autem filium se eius profiteri, quasi dicere vellet, Fecisti atque etiamdum facis, ut patrem decet, ob quod non iniuria patris in te quadrat vocabulum, dignus es, qui pater voceris. Ego vero quia praeter officium filij feci, nec ut aequum fuit te colui, indignus omnino sum, qui filius tuus dicar.

Hæc confessio veram animi humilitatem testatur, ad quam Deus non aures advertere non poterat, tanquam ad rem longè sibi gratissimam, nec poterat committere, quin gratiam cumulatim ei communicaret. Vbi inter cætera obseruabis, decreuisse primò filium prodigum rogare patrem, ut se in mercenariorum loco habere velit, quod nunc silentio praeterit. Quando peccator agitur conscientia stimulis, tum præclare secum agi putat, si vel inter infimos in domo Dei locum tenere sibi contingat. Sed quoniam praeter suam opinionem vltro neam parentis in se experitur benignitatem ac benevolentiam, lubens mercenarij praeterit vocabulum, non ignarus honestiorem filij, quam serui esse conditionem.

Verum iam mihi consideres velim, an non venuste & pingui, ut ita dicam, Minerua, per parabolam sit ostensum, quis modus & quæ ratio cum Deo & coram Deo agendi esse soleat. Quæ res ita animum nostrum permoueat, ut de peccatis surgamus, & ad Deum patrem nostrum nos recipiamus, & humili denique animo nostra cõstremur peccata, quò gratia efficiamur participes.

OCT

OCTAVVS SERMO IN COENA

Domini de sacra Synaxi, seu communione corporis Christi.



MAGNA me spes habet circa hodiernam prædicationem, optimum quemque Christianum secum animo recoluisse, quid hodierna dies secum ferat, & qua celebritate quibusque officiis sit nobis transigenda. Nam alioquin ingens vitium & negligentia non satis culpanda iudicari posset, si quis nunc demum, quid nobis factu opus sit hodie, cogitare incipiat, & per totum hocce Quadragesimæ tempus ne semel quidem ea de re animum illius incesserit cogitatio. Non iniuria (inquam) accusari possemus negligentia nos Christiani, ut quibus hæcenus tot tamque seueris adhortationibus calcar additum fuit.

Sed melius quiddam de vobis ominor, nec dubito, quin res ea vobis, sicuti necessarium prorsus est, maiori curæ fuerit. Quo enim titulo alioquin Christianum nomen defendemus, aut nos Christianos esse comprobabimus, si obliuioni tradamus id, quod Christus tanta cum autoritate instituit, tam solennibus verbis denuntiavit, & charitate incredibili dedit ac distribuit, vnde omnium fidelium solarium ac salus pendet. Longè à nobis absit fratres dilecti tantæ ingratitude scelus, absit (inquam) ut Deum nostrum ita flocci faciamus, utque salutem nostram, solarium & cælestia ac æterna bona in nullo pretio habeamus. Ignominia est, nos aliquando totius anni spatio patri vel nihil de Deo cogitare. Dictu horribile est,



illum tam facile à nobis contemni nonnunquam,
& conuiciis atrocissimis proscindi.

Sed hoc imprimis omni animaduersione, &
supplicij genere dignum esset, si etiã in propria
domo, in mensa, apud cibum ipsius, quem nobis
ex singulari in nos beneficentiã & charitate para-
uit, manum illi adferre velimus & pedibus eum
conculcare. Quod in se Iudam proditorem factu-
rum conquirebatur. Cui intinctum panẽ (inquit,
porrexero, is tradet me.

Ioan. 13. c

Is verò haud dubiè Christum pedibus cõculcãt,
qui vel ipsum, vel mensam ipsius fastidit, aut indi-
gnè ad eam accedit. Neutrum fit sine ingenti peri-
culo, ac rerum nostrarum dispendio, quod vt eui-
tare possimus, magno studio opus est ac diligentiã.

Ecclesia mater nostra fidelissima per totum
hoc Quadragesimã tempus nihil magis in votis
habuit, quã vt vel semel cum filio prodigo in
nos reuerteremur paternas reperituri edes. Quod
si quis ex parabola illa, seu similitudine nondum
animaduertere queat, vbi filius prodigus adole-
scens insolentissimus felicius egerit, in paternis
laribus, an in externis regionibus cum porcis vi-
ctum communem habens, is oculos adhuc ape-
riat, quoniam nunc demum res seriò agitur, nunc
ad extremum peruentum est, ita vt alterutrum
sit necessariò faciendum, aut cum Christo & om-
nibus electis cibum capere, aut à Christi om-
niũque electorum consortio in perpetuum se-
parari ac diuelli.

Res non paritur moram, mensa adornata est,
cõuiuã inuitati, hora nobis definita est, hodie dies
illa

illa est, ad quam comparere debemus. Qui itaque
nondum satis norit, vtrum prestabilius sit, Deum
pro patre, an verò pro iudice & hoste habere, in
gratia ipsius, an verò in indignatione esse, is sine
omni cunctatione ambigere desinat, & curet ani-
mo deliberato vt sit. Ego autem (inquit Iosue) &
domus mea seruiemus domino. Nusquã sanè
fratres dilecti commodius beatiusque, quã in
domo patris nostri viuunt. Hic inter viros proba-
tos & cõuiuã honestos locum obtinemus, ibi in-
ter porcos nobis viuendũ erat: hic pane vescimur
quantum satis est, ibi præter siliquas nihil erat,
quã tamen ad saturitatem vsque non suppete-
bant. Hic benigno & clementi vtimur patre, qui
nos absque nostra cura & sollicitudine cibo tam
temporali, quã spiritali pascit, ibi sub Tyran-
ni Imperio eramus, qui vnice hoc studebat sem-
per, vt cum corpori, tum animã nostrã vim ad-
ferret, sicut in diuo Iob videre licet. Quis igitur
iam dubitet illos homines esse deploratos, qui ad-
huc in vtrunque latus claudicant, nondum certi
videlicet, melius ne sit & vtilius Deo an diabolo
inseruire, ignari adhuc, vtrum malint vltorius si-
liquas cum porcis vorare, an cum omnibus ele-
ctis vesci cibo caelesti in domo Dei.

Ios. 24. d

Iob. 1. d. e

2. b

3. Reg. 18. f

Faxit Deus Opti. Max. vt nos & omnes Chri-
stiani exactius rem istam consideremus. Et præci-
puum huius sermonis negotium est, vt viam de-
monstret, qua proximè ad domum patris perue-
niri possit, & vt nos alliciat ad mensam ipsius, ne-
cesse sit perpetuò nos cibo porcis consueto & sili-
quis vesci, neue nos ipsi in porcorum naturam
verta



vertamur, instar pecudum viuamus, & animam exhalemus.

Eam nimirum ob causam, vt ne quid ignoretis, hoc in loco iam conuenimus, & magno nobis opus esset oratore nunc & viro eloquente, qui hoc nobis persuadere posset. Ad quod persuadendum quis magis disertus est, quam Christus ipse? Lege sextum caput in Ioanne, vicesimum sextum in Mattheo, decimum quartum, in Marco, vicesimum secundum in Luca, vndecimum in prima epistola Pauli ad Corinthios. Quae sacrae scripturae loca si parum apud te valeant, nec tantum possint efficere, vt afficiaris erga mensam Domini, & nauseam concipias erga filiquas. Videre equidem nequeo, qui tibi succurri possit.

Quae omnia si te nihil mouent, audi obsecro, quid cum filio suo prodigo benignissimus pater amplius fecerit. Proximo sermone audiuius, patrem filio reuertenti obuiam processisse, atque in eius iruisse collum. Quae patris humanitas sperni & animum filio addebat. Vt animo submisso, ac magna fiducia ad patrem diceret: Pater peccaui in caelum & coram te, &c. Nunc igitur quae sequitur, pari diligentia accipe.

Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamentum in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est. Et coeperunt epulari.

Om

Omnia ista verba optimè quadrant ad sacram synaxin, seu cenam nostram Dominicam, quae propter etiam ita digessi ac institui sermones meos, vt ea hodie explicanda venirent. Nam tamen omnes sacrorum Bibliorum libros peruoluerem, vi debam nullum locum ad presentem diem accommodum esse, atque est hic textus, in quo disertè docetur, qualem Deus nobis suis filiis cenam pararit, & quid ad eam accessuri facere, vel quomodo nos post sumptam gerere debeamus. Quocirca singula haec verba excutiemus & ponderabimus.

Et primò quidem, non absque singulari ratione & causa ostensum est, patrem ipsum non omnia praestare solum, quae ad filij sui perditam restitutionem ac salutem pertinent, sed seruos suam quoque addere operam oportere.

Pater suis sanctus erat partibus, filio aduentanti obuiam procurrerat, in collum illius irruens eumque exosculans, omnis irae, indignationis & iniuriarum oblitus. Id quod reliquum erat, seruis suis mandat. Proferte (inquit) stolam primam, &c.

Attamen huius aetatis naribus emuncti doctores & quibus per se sapientia innata est, nugari non verentur, dum dicunt: Nil moror seruos, si patrem fautorem habeam. Quid illorum mihi proderit officium, si amplexibus & osculis me primò excipiat Deus? Et quod crassius est. Quid sacerdote vel ipsius absolutione mihi opus est, cum iam Deus me in gratiam receperit & condonauerit, quicquid in eum admisi?

Quorum improbae voci ita respondum sit: Causam



iam ex Deo sciscitare, cur hominem nocentem in gratiam recipiat, & postea tandem ad famulos dicat, vt illum induant & conuiuium illi parent nō vulgare. Christum interroga, quo animo Lazarum iam mortuum ad vitam reuocarit, & postea demum Apostolis in mandatis dederit, vt eum disligarent. Si efficaci & omnipotenti suo verbo non solum vitam ei reddere potuit, verum etiam manibus ac pedibus vinctum ex monumēto subleuare, potuisset etiam haud dubiè sui verbi virtute compedes, quibus ligatus erat, rumpere. Sed isthuc suis Apostolis faciendum reliquit.

Rom. 9. d

O homo tu quis es, qui respondeas Deo, & in ipsius opera inuehare? An nō pro beneficio agnoscis, quōd iuuet te, & iuare semper paratus sit, siue id faciat per se, siue per alia media? Nunquid ægrotus cum medico iure expostulabit, si morbus propellat, siue medicinam per alios mittat, siue ipse ægrotus sumendam præbeat? Si sapit, nec ingratiudinis notam velit incurrere, habebit medico gratiam, vtro etiam modo sibi consultū fuit. Quōd si medicus potionem seu medicinam ipse attulerit, cum gratiarū actione eam infirmus accipiet. Sin verò per seruum mittitur, certus est eam non à seruo, sed à domino & vero medico proficisci.

Luc. 10. f

Huius rei exemplum pulcherrimum in sacris literis extat de Samaritano, qui faucium ac vulneratum hominem in itinere conspiciens, imposuit in iumentum suum, ac deportauit in diuersorium, atque illic eum hospiti meritorio commendauit, vt ipsius curam diligentem ageret, &c. Quo pacto iam

iam vulneratus de iniuriis cum Samaritano agere potuisset, quo minus ipse curam illius habuerit tantisper, donec pristinæ valetudini sit restitutus? An non Samaritanus laudabiliter satisfacit, quōd erga semiuuum misericordia affectus sit, vulnera obligarit, in vmbra & sub tectum reuexerit, ac deinde alios substituerit, qui necessaria subministrarent, donec conualuisset?

Homines itaque impudentes, inepti vel potius ingrati sint oportet, qui omnia sibi à Deo sine medio aliquo contingere volunt, Ecclesiam aut ipsius ministros nihil posse opinantes. At ne tibi hoc in animum ducito frater. Non enim Deus hic se patietur finibus circumscribi. Inuenit te in via procul à Hierosolymis vera tua & cœlesti patria. Non autem inuenit te sanum, sed ægrotum ac vulnerate afflictū, hoc est, peccato originali infectum, semiuuum, ac omni virtutum ornamento spoliatum, attamen tui misertus est, peccatis te exoneravit, & in domum denique suæ Ecclesiæ per baptismum reduxit. Si quid porro est, quōd ad salutem tuam desideretur, id seruis suis sanctis Apostolis eorūque posteris supplendum dedit. Ex his quicquid illud est, perere debes, nec aliō modo tuis rebus succurri potest, quandiu seruorum copia detur. Ea enim vbi desit, Dei potentia illorum seruitio non astringitur, siquidem, quōd per eos tanquam instrumēta sua seu media operatur, id præstare quoque per se absque illorum operapoteest.

Sed ita factum est, ita illi placuit. Seruis suis duos denarios dedit, hoc est Verbū & Sacramēta,

quibus subindè opitulari laborantibus debent. His verbis eos affatus est: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et tu quis es, qui voluntati illius oblatrare audeas? An oculus tuus nequã est, quia ipse bonus est? Aut non licet illi quod vult facere? Sic ab eo definitum est, quod nec mutari poterit. Ecclesiã subiicit, quẽ in gratiam recipit, ita inquit: Qui ecclesiã nõ audierit: sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Quem amplectitur & osculatur, cũ suis seruis cõmendat, qui eum vestimentis rursus ornent, & cibo refocillent. Res aliter geri non potest. Qui vos spernit (inquit) me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

Luc. 10. c.

Gen. 16. a

Hoc totum eleganter nobis refert vetus illa figura de Agar, cui cum Sara minimè conuenire poterat, superbiebat & efferebat sese eò, quòd cum Abram commercium haberet, cogitabat, postquam ex ipso prolem suscepisset, nihil amplius curandam esse veram matrem familiã, nihil cõdendum Sara. Sed quibus verbis Dei Angelus eam allocutus est? Agar reuertere ad domum tuam, & humiliare sub manu illius. Christus Saram suam, hoc est, Ecclesiã omnino honore vult affici, nec pati, vt vlli contemptui sit. Illi spiritum sanctum promisit ac dedit: illi ac ministris illius tradidit clauas, vnde etiam petendum est, quicquid ad nostram salutem necessarium est, aut cum Christo nihil commune habendum.

Atque hinc imperitia hominum sese profert qui dicunt, Quid mihi rei cum Ecclesiã aut ipsius

ministris, cum Christum habeam auxiliatorem? Quid mihi cũ sacerdotibus, cũ habeam Deum presentem? Quid ais bone vir? Si vis vt fides tibi habeatur, misero peccatori nihil in Ecclesiã aut ipsius ministris situm esse prius verbis Euangelij licuram inducere debebis: quã Christus protulit hunc in modum: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Et ad Petrum: Tibi dabo clauas regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatũ & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutũ & in cœlis. Item: Qui vos spernit, me spernit. Et rursum: Qui ecclesiã non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Atq; ad eò si uideri mereri cupis hostis Ecclesiã, parabolam quòq; de Samaritano, & filio prodigo ex Euangelio auferre debes. Quã diu enim iã cõmemorata sententiã & similitudines reperiuntur & leguntur, nõ quã Catholicis tuis dictis vel verius nugis aures præbebunt.

Quamobrem aliquid apud nos valere debet, quòd pater filio in gratiã recepto, id quod reliquũ est, seruis demandet. Quid verò illud est? Cirò (inquit) proferte stolam primam, & induite illum.

Hic vides primò, quã Deus omnis morã sit impatiens, quã primum peccator ad sui agnitionem venit, errata confitetur, & veniam rogat, Cirò ait ad seruos: nam res non patitur moram. Vbi enim peccator ad hunc modum flagitia sua & conscientia tormenta persentiscit, & ira perplexus est, maturo opus habet auxilio, ne desperando periclitetur.

Sed quod illud auxiliū est? Proferre primam stolam, & induite illum. Quæ vestis aliud nihil est, quàm iustitia, innocentia, aut peccatorum remissio. At obiicis nunc, qui fieri possit, vt homini impertire talia possit? An non solus Deus est, qui potestatem habet dimittendi peccata, & iustitiam communicandi?

Respondetur: Christus non dicit, date ei stolam, sed proferre. Ex sua arca iubet depromi. Apud te (inquit Dauid) propiciatio est, misericordia & copiosa redemptio. Deus in sua arca reconditam habet, Christus suis meritis. Ea filium reuertentem donat benignus pater, penes quæ præcipua dimittendi peccata facultas est: famuli solummodò eam proferunt ex thesauro scripturæ ac meritorum Christi annuntiantes & induentes illum per absolutionem. Ex his nimirum audis, Christi mandatum esse ac præceptum, vt peccatori resipiscenti gratia annuntietur & absoluat in nomine Christi, aut vt liber dicatur & immunis ab omnibus suis peccatis, induaturque hoc modo veste, hoc est, particeps fiat iustitiæ & meritorum Christi. Proferre (inquit) stolam primam, & induite illum.

Propterea autem stolam seu vestem appellat, quod peccata tegat vt Dauid inquit: Beati quorum tecta sunt peccata.

Prima stola seu pretiosissima vestis vocatur eò, quod mortalibus nihil melius peccata possit contegere, quàm meritū & iustitia Christi, quæ hominem ad honorē & dignitatē summūq; fastigium euehunt dum per ea prima reparatur innocentia.

Quid

Quid præterea seruis iniungitur? Date annulum in manum eius. Peculiaris olim apud Ethnicos mos erat, ita vt annullorum vsus quibusdam licitus esset, nonnullis verò summū adferret probum. Quam consuetudinem hoc etiam seculum retinet. In quibusdam statibus dignitatis haud vulgaris inditio est. Inter coniuges datæ fidei signum est & monumētum. Quid igitur sibi vult annulus, quem Deus in manum filij sui reuertentis iubet dari: aut quid Christus per annulum innuere vult?

Principiò intelligere nobis datur, nemini qui ad meliorem frugem redire cupit, recusandam esse gratiam, nec quemquàm ob admissa præterita tantò peiorem esse reputandum. Quemadmodum Petrus Christus rursus sua dignabatur gratia, annulum ei reddebat, pristinae illum prouinciae ac dignitati restituebat.

Secundò quoque annulus fidem repræsentat, quæ peccatori prædicari debet. Cæterum diligenter hic obseruandum est, eum nò dicere, Date illi annulum in crumenam aut sinum, sed in manum, quippè cum fides non abscondi debeat, sed in manu, hoc est, in operibus sese exerere, aut vt Paulus habet, per charitatem operari.

Vndè rursus palàm fit, quàm impiè quidam mundo imponant, & eum circumueniant, qui peccatori nò in manū sed in sinum annulū dant, nò viuam, sed mortuā & otiosam fidem docentes, quæ tamen absque operibus nulla est & inutilis.

Ecquid amplius peccatori faciendum est? Date calciamentum in pedes eius, inquit, pater. Calcia-



menta conficiantur ex corio bruti demortui, quæ in cum sine m gestatur, vt à sentibus & lapidum asperitate pes defendatur. Iis peccator etiã opus habet. Primò, vt exempla sibi proponat eorum, qui ante nos vixerunt. Secundò, vt fati seu mortis inuitabilis nunquàm non memor sit, quo futurum erit, vt eò longius in accepta gratia persistat, nec in priorem turpitudinem prolabatur. Tertid, vt discat quoque per spinosas, asperas ac difficiles vias Christum sequi, hoc est, non solum fidem per bona opera exercere, sed patienti animo crucem & aduersitates quoque perferre.

Duplicia verò in libris diuinis nobis propo-
Heb. 11. f sita sunt exempla, bona & mala. In epistola ad Hebræos varia Paulus commemorat exempla fidei anti quorum patrum, quibus hæc denique verba subiicit. Ideò que & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus & circunstant nos peccatum, per patientiam curramus ad propositu nobis certamen, &c. Quo quid Paulus facit aliud, quàm quòd consuat nobis calceos ex corio animantium mortuorum, hoc est, ex exemplis sanctorum Dei? E diuerso autem inquit alio in loco: Non simus concupiscentes malorum, sicut & Israëlita concupierunt, neq; idololatrà efficiamini, neque fornicemur, neque murmuraueritis, &c. sicut quidam eorum, & prostrati sunt in deserto, &c. En rursus hic nostris pedibus Paulus adaptat calceos, ex hominum improborum exemplis, &c.

1. Cor. 10. b
Id genus calciamèti opus habet peccator. Quæ de causa seruis & Ecclesiæ ministris præcipitur, vt in

vt in pedes peccatoris pœnitentiam agentis calciamenta dent, hoc est, exempla tam bonorum quàm malorum ob oculos ponat, quòd sciat pietatem sectandam, malitiam fugiendam sibi esse, veluti Dauid docet. Secundò, vt sapius illi memoriã renouent mortis & iudicij extremi, sicut Ioannes facit in sua epistola, vbi inquit: Filioli, nouissima hora est. Et Paulus: Omnes stabimus ante tribunal Christi. Tertid, vt pœnitentem non modò ad bonorum operum studium assuefaciant, verùm etiam doceant aduersa fortiter toleranda esse.

Ex his cunctis liquet, quantam Ecclesiæ minister peccatoris curam gerere teneatur. Sed vbi sunt, qui suo funguntur officio? Non sanè desunt, qui cum planè ignorant, quid muneris susceperint, aut quibus modis pœnitentem tractare debeant, nò tamè vereãtur sese ingerere talibus prouinciis, cæci nimiru ipsi & cæcoru ductores. Nonnulli quidem norunt, quid faciendum sit, & quid ad rem pertineat, sed laborem ceu pestem fugiunt. Postremò non paruus in nobis defectus est, quòd ipsi nobis profectum in pietate remoramur, & veluti salutis beneficium inuidemus, in eo, quòd pœnitentiam nostram & confessionem ad extremum vsque protrahimus, vno agmine tum & cateruatim accurrentes, ita, vt sacerdoti impossibile sit, vnumquenque prout necessariu esset, informare.

An verò non piaculũ est, vt cum Deus tara cum seueritate suis ministris præceperit, quid cum pœnitente agere debeant, nos ipsi tam oscitantes simus & illorũ in nos officij negligetes. Verùm id

Deo committo quanquam sapius in talem socordiam inuectus ut vociferatus sum, actum tamen regi, nec quicquam me profecisse video.

Audiamus nunc, quid ulterius seruis mandatum sit: Adducite (inquit pater) vitulum saginatum, & occidite. Quae verba quoniam praecipue nostram respiciunt communionem, non immerito ab his hodiernam nostram concionem auspicati fuissimus, nisi ordine progrediendum esset.

Deus neminem ad mensam suam seu conuiuium admittit, nisi prius vestitus sit, ornatus & idoneus. Quod si quis praeter ipsius voluntatem se ingerit veste nuptiali destitutus, is rursus manibus ac pedibus vinctus eiicitur. Dicta haec sunt nostro seculo, utpote frigido & ab omni pietate alieno: Accurrimus ad mensam Dominicam nunc sine omni lege, nec poenitentiae, nec confessionis, multo minus vitae reformandae memores. At quantum eiusmodi incuria dissideat a patris institutione, ex his nemo non facile intelligit.

Cultus quidam & preparatio ad hanc rem omnino necessaria est. Coena Christi non canibus aut porcis, sed hominibus: non seruis, sed filiis adornata & instructa est. Qui itaque fieri potest, ut Deus exhilaretur, utque gratum illi sit, si cum tumultu, nulla seruata discretionem, ita accurrimus & ultro nos ingerimus nec veste, nec annulo, nec calciamentis accincti?

In summa, his solis coena ista salutifera est, qui per confessionem & absolutionem veste innocentiae ac iustitiae induti sunt, per annulum fidei Christo vniti, & per viam obedientiae cum impletionem bo-

norum operum & aduersitatum patientia fortiter transeunt, nec pertrahi se sinunt vel ad dextrum vel ad sinistrum latus, ut Paulus ait: Vide, hoc sibi volunt verba illa, quae haecenus audiimus, ab his auspicandum est. Quo facto, pater inquit: Adducite vitulum saginatum, & epulemur.

Verum enimvero quis vitulus ille est, nisi Christus ipse? Huc spectat figura illa de vitulo, cuius cruore Moyses foedus, quod Deus cum populo percusserat, confirmavit. Moyses (inquit scriptura) sumpsit sanguinem ac resperxit illum in populum, & ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. Hoc (inquam) Moyses fecit non alia de causa, quam quod praefigurare & quasi per umbram ostendere voluerit, Christum aliquando sanguine suo confirmaturum nouum testamentum.

Hic est iam vitulus noster insignis & saginatus. Quapropter quae Moyses populum suum allocutus est, eadem erga nos Christus vititur oratione. Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Accipite & bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, &c. Vitulum saginatum Deus ad usum humani generis destinavit. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.

Quod autem Christo vituli saginati nomen attribuitur, id fit non sine multis & grauibus causis. Primo, quod in illo omnes thesauri diuinae scientiae & sapientiae absconditi sunt. Secundo, quod in illo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Tertio, quod est resurrectio & vita omnium, qui credunt in ipsum. Quarto, quod in illo sunt



Luc. 15. c

1. 2. 1. 1. 1. 1

1. 2. 1. 1. 1. 1

Matt. 22. b

1. 2. 1. 1. 1. 1

Matt. 15. c

1. Cor. 6. d

Exo. 24. b

Matt. 26. e

Ioan. 3. b

Col. 2. b

Ioan. 11. e

2. Cor. 1. d

omnes Dei promissiones: Amen. Quintò, quòd in ipso habemus & Deum simul & omnium bonorum fontem. Qui me videt (inquit ad Philip-pum) is videt patrem meum. Et rursus: Qui me accipit, accipit, eum, qui me misit.

In summa: Si scire cupis, quàm pinguis & benè curatus sit iste vitulus, lege & audi, quid Christus met in Ioanne pronunciarit. Amen dico vobis:

Ioan. 6. d. Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Et paulò post: Ego sum panis vitæ, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ, &c. Id genus verborum totũ illud caput plenum est. Pater itaque sese verit ad seruos suos, præcipit Apostolis & ecclesiæ ministris, vt peccatori pœnitentiam agenti, adhuc tamen trepidanti, perterrito & pusillanimiti, cœnam apparent, ira tamen vt nihil edulij præter vitulum saginatum Christum apponant. Is enim est, qui homini peccatori famem potest sedare, animi illius & conscientie intemperiem componere. Ego (inquit) reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Et alibi: Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum.

Sed quomodo peccatori pœnitenti hic cibus parandus est? Occidite vitulum (inquit pater,) Non vsurpatur pro cibo: nisi mactatus. Quotiescunq; manducabitis cibum hunc (ait Paulus) mortẽ domini annuntiabitis: tum gratissimus hic cibus est, tũ Christus suauissimus, in ipsius nempe passione. Nunquàm peccatorum aliquis desperabit, qui vulnera Christi animo verè recolet.

Ad

Ad hunc modum cibus iste sumendus est, vt interim mortis Christi non intercedat obliuio. Hoc (inquit) facite in meam cõmemorationẽ. Quocirca Christus mactatus est, & in cruce, hoc est, in igni charitatis assatus, vt palatum nostrum tantò magis oblectaret, & maior nobis esset de ipso comedendi appetitus.

Post hæc pater subiicit. Manducemus & epulemur. Peractis omnibus, quæ seruis imperata sunt, & vitulo parato, voluntas patris est, vt discumbatur & edatur. Ad hoc enim nobis Christus datus est, vt ipso fruamur. Non solum namq; videri vult & audiri, sed etiam, idq; præcipuè à nobis manducari, nobisque incorporari. Nisi (inquit) manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.

Quod fit duobus modis. Primò, spiritualiter per fidem & verbum Dei. Secundò, corporaliter ac visibiliter in sacratissimo sacramento. Vtroq; modo à nobis Christus sumi & manducari vult. Imperandi modus est, Manducemus. Si Christianum te verè profiteris, imperatum tibi est, vt non modo in Christum credas, verum etiam sacramentum suscipias.

Atque hinc iam obserua, aliam nunc orationis esse formã, quàm quæ hactenus fuit. Superius ad solos seruos pater locutus est, idque imperatiuè. Proferte (inquit) stolam primã, & date annulum in manum eius: &c. Nunc verò mutata sermonis specie, non ait ad seruos: Manducate aut efficite, vt alij manducent, sed in genere loquitur: Manducemus, qua voce tam se, quàm cæteros oēs simul

com



comprehendit. Peccatorem poenitentem sui con-
 iuij confortem esse vult, vult quoque vt serui, &
 verbi diuini pracones accumbant, vult & ipse pa-
 riter praesto esse. Manducemus (inquit.) Nobiscū
 ipse cōiuatur, & nos cum illo. Hic est filius meus
 dilectus, (dicit) in quo mihi complacui. Etenim ci-
 bus illius est, quo maximè gaudet & delectatur,
 quòd scilicet Christus executus ea sit, quæ ad uti-
 litatem & salutem humani generis faciunt. Secū-
 dō, verbum Manducemus propterea in plurali e-
 larum est, vt hinc intelligamus, Christum cum in
 verbo suo, tum in sacramento non vni tantum, sed
 omnibus mortalibus proponi, vt qui nobis omni-
 bus summè necessarius sit ad salutem & sufficiat.
 Opus illo habet peccator poenitens, vt cōsoletur,
 opus illo habet iustus, vt corroboretur, nec à be-
 nefaciendi studio desistat, quādoquidem sine illo
 nihil possumus. Opus quoque illo habet minister,
 qui Euangelium & sacramentum administrat ac
 distribuit. Manducemus. Tametsi omnes de illo
 comedamus, satis tamen & aliis reliqui sit, quin-
 imò Christus integer remanet. Iesus Christus he-
 ri & hodie: ipse & in secula.

Ioan. 14. a

Ioan. 13. c

1. Cor. 10. d

Tertio quoniam vocabulum istud Manduce-
 mus, de pluribus loquitur, significatur nobis,
 quòd Christus in verbo suo & sacramento à no-
 bis sumi velit in vnitatem & mutua dilectione. Ad
 hoc inferuire nobis debet cōmunio, atq; eā aded
 ob causam cōmunio appellatur, vt omnes vnus pa-
 nis & vnū corpus efficiamur, quēadmodū & de v-
 no pane, & de vno calice participamus. Hic verus
 vsus est huius sacramēti, quod vnionē & charitatē
 inter

inter nos conciliare debet, vt quemadmodū Chri-
 stus necessitudinis vinculo copulari nobis voluit,
 ita & nos inter nos vnus spiritus & animi simus.

Sed iam aliud verbum sequitur: Et epulemur
 siue gaudeamus. Non solum manducare nos con-
 uenit, sed etiam epulari & exporrigere frontem.
 Quid ita rogas? Mortui eramus, sed in hac mensa
 vitam recipimus, quoniam Christus vita est: Per-
 diti eramus, sed hic salutem inuenimus. Nā Chri-
 stus ipsa salus est, vnde & nomen illi inditū fuit.
 Aduerte quoque verbū istud, Epulemur seu gau-
 deamus similiter pluralis esse nameri. Quemad-
 modum enim cibus communis est, ita lætitia &
 gaudium commune esse debet. Quod si genus de
 Christo ipsiusq; gratia participat tecū, participem
 quoq; illum fac tuarum facultatum. Si communi
 tecū gaudio in mensa domini exhilaratur, fac vt
 & tu ipsius cor gaudio aliquo reficias, vel potius
 tua liberalitate esurientem ipsius stomachū sub-
 leues. Idque tum verè dici posset, Gaudeamus, tū
 rectè commune gaudium appellari posset.

Ioan. 11. c

Matth. 1. d

Alioquin inæqualis vitæ ratio est, vt cum om-
 nes ad vnam, atque aded Dei mensam accumba-
 mus, alius risu penè dissoluatur, alius luctu sese
 conficiat, vt alius omnium rerum abundantia po-
 tiatur, alius fame discrutietur. Hoc non est domi-
 nicā cœnam manducare (ait Paulus ad suos Corin-
 thios) Qua de causa? Conuenientibus vobis, vnus
 quisq; suam cœnā præsūmit ad manducandum, a-
 lius quidem esurit, alius autem ebrius est. Inopē
 quoq; exatura & ad hilaritatem prouoca, quem si
 Christus sua mēsa & cōiuio nō indignū iudicat,
 cogit

1. Cor. 11. d

iniquum esse illum abs te contemni & à tuo pane arceri. Quod ubi fit, rectè ibi viuatur, & verum illud commune omnium gaudium est, vnde nemo secluditur.

Vides opinor, quàm multa optimo cuique Christiano ex his verbis consideranda veniant, quibus profectò nihil melius neque vtilius ad communionem & susceptionem sacratissimi sacramenti cogitare possumus.

Huc tandè omnia redeunt. Ad mensam dominicam ire cupis? Vide, vt in veste iustitiæ seu innocentie inueniatur, hoc est, vt per penitentiam, confessionem & absolutionem prius admissa scelerata cta sint. Secùddò diligenter attède, vt annulum in manu habeas, hoc est, veram & viuam fidem. Tertio quoque cura, vt calciamentis pedes tui muniti sint, hoc est, vt paratus sis ambulare in via mandatorum Dei, & re totum voluntati ac seruituti Dei dedas, què admodum Christus seipsum totum tibi tradidit.

Porro veniens ad mensam domini, cogita, quàm sit inestimabilis amor ac dilectio, quòd non solum mortem ignominiosam oppetere voluerit, sed ita quoque se nobis attemperare, vt pro cibo nobis esset. Quapropter, quoties tibi sacratissimum sacramentum porrigitur, reputa tecum cibi prestantiam, redeat tibi in mentem corpus illud esse, quod pro nobis traditum fuit, sanguinem, qui pro nobis effusus, scias te in hoc sacramento Christo incorporari & aduniri, & illum tibi. Pro quo beneficio par est, vt gratus erga ipsum sis.

Abiens verò de mensa Domini, etià atque etiam stude, vt proximum simili beneuolentia ac beneficiis tibi

tibi deuincias, quibus Christus te sibi deuinxit. Quod qui facit, communionem suam proculdubio pie, & vt hominem Christianum decet, excusus fuerit. Deus Opt. Max. nobis omnibus suam largiri gratiam dignetur.

NONVS SERMO IN DIE PARASCENES, vel potius prefatio de passione Christi.



Vando mentem meam subit recordatio fratres charissimi, cur hoc in loco hodie conuenerimus, & quantum laboris mihi incumbat, me non parum conturbari, ingenue fateor. Tanta enim materia, de qua dicendum mihi est, magnitudo est & sublimitas, vt maior esse non possit, nec villo vnquam seculo extitit, qui de ea abunde satis, & vt necessum fuisset, dicere potuisset. Quinimò verò doctissimi quique, quos vnquam Ecclesia habuit, impares se agnouerunt, ad diuinum istud opus pro dignitate, & vt æquum est explicandum exornandumque. Ego itaque quid auderem, cui tamen facultas & ingenium esset, non tamen tantum suppetit temporis, vt vel de minimo satis commode possim dicere.

Quid enim in terris vnquam admirabilius gestum est, quàm quòd filius Dei propter genus humanum in cruce agi mortemque oppetere voluit? quid hominis magis superat rationem? Pro quo beneficio omnes electi magis grati esse debent? Quid omnes Angelos in stuporem & admirationem magis vertit, quàm inscrutabile istud Dei consilium & voluntas? Quis igitur non pertimescat horreatque de re tam ardua tam breuiter dicere?

Vnum me consolatur, quòd cum omnes Christiano titulo insigniti sitis, sperè vos tale opus melius apud vos consideraturos, quàm ego in tam exiguo tēporis spatio possim enarrare. Quapropter nihil iam occurrit, quod conducibilius esse existimem, quàm vt vobis commonstrem, quid vobis curæ potissimum esse debeat, quibus rebus niri vt plurimum & in quo pietatis studia exerce

Prout. 9. c

re vos maximè conueniat. Da sapienti occasionē (inquit Salomō) & addetur ei sapiētia. Quo pacto autē paucis verbis maiorē vobis præbere possem occasionē, totā Christi passionē & quicquid eam contingit, contemplandi meditandique, quàm vt vobis in memoriam reuocem, animis que vestris infigam verba, quæ ex parabola seu similitudine filij prodigi proximè audita sunt? Adducite (inquit pater ad seruos suos) vitulum saginatum & occidite. Manducemus & epulemur. His verbis licet contractis bonus quisq; Christianus totā passionis seriem complecti potest, non historiam modò, sed fructum quoque & verum ipsius vsum.

Luc. 15. e

Quid aliud fuit Christus in sua passione, quàm obesus & bene saginatus vitulus, cuius sanguine nouum testamentum cōfirmatum est? Porro quid passionis historia nobis recēset aliud, quàm quomodo vitulus iste ad mortem ductus & mactatus sit? Quæ omnia cur gesta esse credimus, nisi vt homo, qui mortuus fuerat, vitæ restitueretur: qui perierat, rursus inueniretur? Denique historiam de passione Christi in quem vsum melius collocabimus, quàm si iuxta patris verba, manducemus & opulemur?

Matt. 26. c

Nemi

Nemini autem mirum videri debet, quòd hodie rursus manducare iubeamur. Admonui vos proximè, duplicem esse manducandi modū, spirituale & sacramentale, vtroq; modo Christū velle, vt se vescamur & victitemus. Heri in sacratissimo sacramento corpus & sanguinē ipsius accepimus, hodie spiritualiter nobis accipienda sunt. Heri totum Christum vno bolo nobis incorporauimus, hodie instar mundorum animantium facere debemus, sumptum cibum reperere ac ruminare & veram dulcedinem inquirere. Heri in genere audiui mus Christi corpus pro nobis traditum esse, & pretiosum ipsius sanguinem pro nobis effusum, hodie singulæ partes nobis excutienda sunt.

Illud est, Manducemus. Ad hunc modum manducare debemus. Quod si sit, persuasum nobis sit certò, alterum quoq; animi nempe lætitiā subsecuturam. Quinquam enim materies per se tristis est & mœrore plena, fructus tamen, qui inde nascitur, lætus est & oprabilis. Atq; eam adèò ob causam Christus cœlesti & æterno gaudio posthabito, in miseriam & calamitatem hanc sese dimisit, vt nos saltem ad verum & perenne gaudium proueheret. Age, totius rei summa iam in hoc est, vt duo memorabilia in passione expendamus.

Primò, quomodo Iudæi vitulū istum nostrum saginatum, Christum, ad extremum supplicium traxerint, & per Gentiles affecerint morte. Secundo, quomodo illo vesci debeamus. Illis dicebatur: Adducite vitulum & occidite, hoc est, permissum illis à Deo fuit, vt caperent Christum & cruci affigerent. Honestiori munere non erāt digni, quàm

ut lictores, carnifices, & homicidæ fieret in suum Messiam, ac facinus patrarent, nūquam antea inter mortales auditum. Ad hoc Deus illorum obstinata malitia, æquissimo suo iudicio uti voluit.

Nobis autē dicitur: Manducemus, & lætemur. Ad hoc gratuita Dei benignitate vocati sumus, quocircā maiores tāto illi debemus gratias, quōd nobis ad solatium & gaudium perpetuum in terras miserit filium suum, in quem alij grauissimè deliquerunt. Quō magis etiam opera nobis danda est, ut illorum cognito errore & lapsu, nobis prospiciamus, ne & nos impingere contingat.

1. Cor. 1. d.

Verissimum enim est, quod Paulus literis prodidit: Crucem seu verbum crucis Iudæis scandalum esse, Gentilibus stultitiam, nobis verò virtutem Dei & sapientiam. Quod ita se habere passio apprimè demonstrat. Iudæi impeerunt, atq; ita prolapsi sunt, ut necdum surrexerint. Christi sanguis super illis & filiis illorum manet pro sempiterno supplicio, quod ipsi sibi imprecati sunt. Satis grauius quoq; ludibriis & cōiiciis Gentiles Christum inceserunt, & in eum debacchati sunt in conuersione primò, deinde in cruce.

Matt. 27. e.

Latro in cruce, Ioseph vir optimus & Nicodemus, nec nō piētissima mater & Ioānes sub cruce cū aliis quibusdā scēminis sanctitate nobilibus soli erāt, quos tū Christi crucifixi nō pudebat. Inter hos facite charissimi fratres, ut inueniamur. Nemine moueat, q̄ personæ iā dictæ, tū tēporis in summa animi anxietate & mœrore fuerint. Gaudium illorū præter opinionē citius sequebatur. Quam obrem passionis historiam nunc aggrediemur.

SER

SERMO DECIMVS
in die Paschatis

M

ANDUCEMVS & epulemur, nam mortui eramus, & reuiximus, perieramus, & inuenti sumus. Qui proximè præterito die Iouis concioni meæ interfuit, non ignorabit me in enarratione similitudinis de filio prodigo ad eum vsque locum progressum esse, vbi Lucas ait: Et cœperunt epulari. Eodem quoque nos omnes deuenisse in conscientia nostra, magna me in Deum spes habet, resurrexisset nos de peccatis, ad verum nostrum patrem cœlestem conuersos esse, & per humilem penitentiam, rursus adeptos esse vestem iustitiæ ac innocentia, annulum fidei, & calciamentum voluntaria obedientia, ambulandi posthac in præceptis Dei. Spes, inquam, me habet nos iam ad mensam sedere. cōtemplari & demirari summam Dei in nos beneficentiam & gratiam, qua nos præter meritum nostrum impertit, frui deniq; & experiri gratia ipsius dulcedinem.

Eò vsq; nos omnes progressos esse confido, atq; ita fieri oportuit, hoc Paschatis à nobis requirit festiuitas. Et cœperunt epulari. Transitus fuerit necesse est: nā alioqui non rectè Phase appellatur & genuinum suum vocabulum amittit. Et quemadmodum Christus hoc Paschatis die, ex mundo ad patrem, de morte ad vitam, & de cruce ad gloriā transit ac commigrauit, ita nobis quoque de peccatis ad iustitiam, de vita priori ac veteri in nouam transendum & proficiscendum est.

Ioh. 13. d.

Luc. 24 d.

h 2



Hoc (inquam) Paschalis iste dies à nobis postulat. Pessimè idcirco cum illis ageretur, qui in terris adhuc exteris degunt, & siliquis delectantur. Quis illinc eos auellet, quos tam multiplices adhortationes & exèpla non permouerunt? Serò ad peccatorum cognitionem veniet posthac, quibus, ut cognoscerent, in passione studio non fuit. Paucorum animos de supremo Dei iudicio sollicitabit cogitatio, postquam in passione Christi animo non fuerint percussi. Quis nunc faciet, ut cupidi sint ad mensam patris sui, cum tanta eos dilectio non pertraxerit, quàm vidimus & experti sumus proximis his diebus? In maximo profecto discrimine versatur, quem commune Ecclesie exemplum ad penitentiam non compulit, Christi passio non commouit. Pascha non summoperè exhilarauit.

Sed meliora de vobis omnibus ominor. Ac ea de causa vos iterum hodie ut in proximis duobus sermonibus feci, compellere volui. Manducemus & epulemur. In sacratissimo sacramento & passione Christi nostri conuiuij principium est, quod hodie absoluitur perficiturque. Viuificabit nos (inquit

Osee 6. a

Psal. 117.

Osee) post duos dies: in die tertia suscitabit nos. Hodie dies illa est, in qua illud nobis expectandum fuit, aut potius iam accepimus. Hæc est dies, quàm fecit dominus, dies sancta, dies nunquam transitura, dies lucis & lætitiæ, dies immortalis gloriæ & decoris, dies in qua omnis nostra miseria finem consecuta est, contra verò gaudium initium cepit. Hodie namque apparet gratia Dei omnibus nostris peccatis longè maiorem esse, hodie conspicimus Christum superiorè longè esse morte ac diabolo.

Hodie

Hodie de munere experimur, quid vocabulum illud possit, quod Christus in cruce veluti cygneam cationem reddidit: Consummatum est. Etenim læti iam canere possumus: Christi pugna fortissima, salus nostra est vera. Iam scimus Christum victorè esse mortis & inferni. Iam scimus diabolum nihil amplius posse in fideles. Iam scimus Deo sacrificium Christi pro peccatis nostris gratum fuisse & acceptabile. Traditus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et in summa iam certò cognouimus nos cum corpore resurrecturos. Quomodo enim Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Et sicut in Adà omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.

Ioan. 19. f

Rom. 4. d

1. Thes. 4. e

1. Cor. 15. e

Psal. 117.

Hæc est dies, quam fecit dominus: Gaudeamus & epulemur, nam mortui eramus, sicut & filius prodigus fuit, & reuiximus: perditum eramus, & inuenti sumus. Adam nos pessundedit, Christus redemit. Si quid incommodi illinc acceptum est, hic nobis hodie est resarcitum. Quare gratulari nobis debemus Christo nostro existente consolatore, qui nisi resurrexisset, actum de Christiano orbe fuisset, omnes adhuc in peccatorum sordibus hareremus morti obnoxij, vana esset fides & spes nostra.

Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. De talibus gratia operibus manducemus & lætemur. Exèpla ex Apostolis sumamus, qui in passione Christi non solum dispersi & mæsti, sed ad extremam diffidentiam adacti mortuis similissimi erant, neque id iniuria, nam solatium illorum in vnico Christo positum erat,

1. Cor. 15. e

Ibidem. 2

h 3

qui iam è medio sublatus erat. Audire iam coge-
bantur. Alios saluos fecit, seipsum non potest
saluum facere. Si Rex Israël est, descēdat nunc de
cruce, confidit in Deo, liberet nunc eum si vult: di-
xit enim, quia filius Dei sum. Quid mirum, si di-
scipuli tam temporis dubitarint, num vera illorū
in Christum esset fides? Tempus illis proculdubio
tristissimum fuit, cum animo vsq; adeo perplexi
essent. Quid enim conscientiam hominis magis
discruciat, quàm cum in biuio ita hærere cogatur,
incertus de sua fide & an gratiæ spes aliqua super-
sit nec ne? Hoc (inquàm) sancti Apostoli & disci-
puli in passione Christi experti sunt.

Hodie verò in resurrectione Christi, omnium
rerum mutatio facta est. Qui antea opinabantur
Christum filium Dei esse non posse, postquam de
cruce non descendisset mortem oppetens, confusi
sunt. Qui antea animo pusillo & consternato fue-
rant, confirmati sunt & gaudio affecti, atq; ita, vt
gaudium eorum ab illa hora, nemo ab illis tollere
potuerit, sicut illis à Christo fuerat promissum. Le-
ge Euangelia, ex quibus intelliges, quo pacto gau-
dium in illis initiū ceperit, ac creuerit, ac postmo-
dum completum sit, quomodo eo vsi sint & alter
alteri id communicarint, & in summa quomodo
per totum illum diem non conquieuerint, donec
omnium corda perfecto gaudio repleta essent.

Istud illorum pascha erat. Exemplum hinc no-
bis sumamus, ita loquamur nos quoq; ita cogite-
mus & faciamus. Ad quod meritò adducimur, quò-
d quidem ad solatium nostrum & vtilitatē per-
petuam spectat. Quocirca paulo plura de isto fe-
sto mi

sto mihi dicenda duxi, quò abundantius in domo
& in mensa patris nostri gaudere queamus. Decre-
ui autè nò egredi terminū verbi illius, quod Chri-
stus in cruce protulit. Consummatum est, ostensu
Ioa. 19. f
rus videlicet, quàm multæ figuræ & scripturæ ve-
teris testamenti in resurrectione Christi adimple-
tæ sint. Totū ad id nobis inferuire debet, vt cum
filio prodigo tanto maiore lætitia perfundamur.

Primò in confesso est, rem nullam in tota sacra
scriptura toties expressis verbis nunciatam esse,
& rectis figuris significatam, quàm salutaris passio
& lætissima resurrectio Christi significata fuit.
Neq; id iniuria, postquam ex illis duobus omnis
nostra salus pēdeat. Passio Christi peccata nostra
absorpsit, resurrectio ipsius vitam nobis attulit.
Apo. 2. 6
Horum itaque duorum potissimum Deus suis fi-
delibus iam inde ab initio spem dedit, Messiz
morituri & resurrecturi à mortuis. Quæ duo non
verbis tantum illis prædici, sed figuris ac exem-
plis veluti ob oculos poni curauit.

Quod vt verum esse fateamini, aliquot ex scri-
pturis loca & figuras commemorabo, præbiturus
interim vobis occasionem ea de re plura inqui-
rendi. Quapropter audi id, quod Dauid de pas-
sione & resurrectione Christi cecinit. Beatus vir
(inquit) qui intelligit super egenum & paupe-
rem: in die mala liberabit eum dominus. Domi-
nus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum fa-
ciat eū in terra: & non tradat eum in animā inimi-
corum eius, &c. Totus hic psalmus haud dubiè de
passione & resurrectione Christi scriptus, & cāta-
tus est, cuius rei euidentis testimoniū est, quod ipse

Christus verum ex eodem psalmo in suum proditorem protulit ac interpretatus est.

Postquam enim suorum discipulorum pedes lauisset, ac interim pulcherrimis usus esset verbis: inter reliqua ita ait: Nō de omnibus vobis dico: ego scio, quos elegerim. Sed ut adimpleatur scriptura. Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Hic versus, atque ad eadem verba in isto psalmo continentur, ex quo liquidum patet, totum psalmum de Christo agere ab initio ad finem usque.

Primum enim, quis pauper ille, egenus & miserabilis est, cuius David rationem haberi tantopere velit, ut beatum illum hominem predicet ei; bona plurima denuntiet, cui egenus iste & pauper cura sit. Alioquin non minimum inter pietatis opera habetur & omni laude dignum iudicatur, si quis pauperum memor sit, illorum calamitatem consideret, illis condoleat & opituletur. Maius quiddam ac laudabilius est, si quis intelligat super illum, qui animae & conscientiae morbo laborat, ei; & re & verbis ferat opem. David autem, quemadmodum nunc merus singularis innuit, hoc loco non de quouis, sed peculiari aliquo paupere & egeno loquitur. Nō dicit: Beatus qui intelligit super egenos in genere, sed qui intelligit super egenum singulariter. De certa quapiam persona paupere loquitur, cui peculiariter vult, ut benefaciant homines in egestate summa degenti. Quod qui facit, beatum illum appellat, bonorum vim inestimabilem ei promittit, ut cui ob hoc ipsum gratia & auxilium a Deo ram temporale quam spirituale continget.

Quis igitur pauper hic, & egenus alius est, quam

quam Christus in sua passione? Et quae ipsius demum fuit calamitas? Inimici mei (inquit) dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen eius? Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur cor eius: Egrediebatur foras, & loquebatur: in idipsum aduersum me susurrabant omnes inimici mei. Verbum iniquum constituerunt aduersum me, nunquid qui dormit non adiciet ut resurgat? Etenim homo pacis meae in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me suppurationem. Ecce hic est ille pauper & egenus. An vero non sunt eadem, quae in passione Christi audiimus? An non Euangelistae aperte satis scribunt de impio proditoris osculo, de falsis testimoniis, de iniquis & contumeliosis accusationibus, de furiosis ac insanis vociferationibus, de amarulentis & acerbis subsannationibus ac laedoriis, quibus Iudaei per totam passionem a principio ad finem usque Christo illuserunt?

Verum quid Christum ad tantam calamitatem ac miseriam adduxit? Haud aliud quicquam, quam ineffabilis ipsius erga genus humanum charitas, qua nostra delicta sibi imputari voluit, & nostram vicem subiit, nec aliter se gessit, quam si ipse nocens esset. Ego dixi (inquit) Domine miserere mei; sana animam meam, quia peccaui tibi, hoc est, peccata eorum, quae in me admiserunt, suscepi in me. Ad eundem modum loquitur alio in psalmo, Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me, & quae non rapui tunc exolvebam.

Haec causa fuit, cur Christus eodem misericordiae venerit. Beatus itaque homo, qui intelligit super hunc egenum,



qui diligenter cogitar, pro quibus & qua de causa tanta passus sit, quid illū ad id mouerit, & quæ comoda inde enata sint. Quod qui facit (inquit Dauid) atque ita intelligit super hūc egenū & pauperem, in die mala liberabit eū Dominus, siue fames & bellum, siue peccatum & mors in eum sauerint, conseruabit eum rebus adhuc integris, eriget & uiuificabit iam lapsum, beatum faciet eū in terra, ut posthāc nullum periculum timere necesse sit, sed incipiat possidere Dei bona, dum ista adhuc fruitur aura. Ac insuper non tradet eum in manus inimicorum eius, sed suppetias feret, reficietque eum, ubi lecto præ corporis doloribus fuerit affixus. Quod si verò contingat eum in animi angustias incidere, ut quocumque se uertat, nusquam tamen quietus esse possit, & si conscientia eum pungat ac cruciet non secus ac si sentibus & spinis intricatus sit, memoria tamen & cōsideratio de paupere & crucifixo Christo ita lectū ipsius versabit, ut videatur sibi nunquam mollius cubuisse.

Vide hęc, psalmus iste de Christo & passione eius commemorat, de quibus omnibus iis, qui eiusmodi ipsius passionē expēdūt, & verē intelligunt. Audire iā quædā uis de resurrectione Christi? Aduerte, quid Christus in psalmo iam dicto subiecerit.

Tu autem Domine (inquit) miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis. In hoc cognoui quoniam uoluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Benedictus dominus Deus Israël à seculo & usque in seculum.

In

In hisce uerbis clarissimè resurrectio Christi cōmōstratur. Nec interim silētio præteritur, quid bonis & improbis hominibus, quid amicis ac maleuolis inde sperādū sit. Verba quidē pauca sunt, sed talia, quæ pōdere nō carent. Domine resuscita me (inquit Christus.) Hic opus ipsum & resurrectionem habes. Quod tamen non ita accipiendū est, tanquā Christus non propriis uiribus resurgere potuerit, sed illum ab alio resuscitari oportuerit, quēadmodū Lazaro impossibile fuisset resurgere, nisi eū ex monumēto euocasset Christus.

Alia cum Christo res est. Siquidem Angelus luceulenter de illo testatur inquit: Surrexit, intellige propriis suis uiribus ac diuinā uirtute. Christus quoque ipse ait: Potestatem habeo ponēdi animā meam, & potestatem habeo iterum sumēdi eam. Quod autem precanti similis ait: Domine resuscita me, & quod aliis quibusdam in locis legatur resuscitatus à mortuis, ipsius id humanitati tribuendum est, quæ mortem superare haudquaquam potuisset, nisi diuinitati fuisset conglutinata.

Tali quoque modo hīc Christus pro sua deprecatur humanitate, quemadmodum in passione fecit, ubi in hæc uerba erumpit: Pater mi, si possibile est, transcat à me calix iste: ueruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Et rursus: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Quæris nūc, quid secum ferat Christi resurrectio, aut quid ex ea expectandū sit? Respondetur: Discrimen inter amicos & hostes ponendū est. De hostibus dicit: retribuam eis. Quod quò breuius dictum, tantò terribilius & atrocius est. Non

dis



dis simile est ab eo, quod Ioannes ex Prophetâ Zacharia introducitur: Aspiciet ad me (inquit) que confixerunt. Et quod Christus dicit: Cum exaltaueritis filium hominis, videbitis, quod ego sim. Et iterum: A modo videbitis filium hominis sedentem a dextris Dei &c. Item ad Pilatum: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et alibi ad Iudeos: Multa habeo de vobis loqui & iudicare. Minus tantum sunt hæc omnia, & grauius animam ferunt, quam si certum supplicij genus & vindictæ modum expressisset. Omnibus qui Christum odio prosequuntur dicta sunt, atque Iudeos sensisse opinor, quibus abunde retributum est, & merces, qua digni fuerunt data. Christum opprimere & funditus delere conati ipsi sibi malum tam temporarium, quam spirituale & æternum consciuerunt. Domine resuscita me (inquit Christus) & retribuas inimicis meis. Istud vnum est.

Pergis verò percontari, quid ad nos Christianos solatij redeat ex resurrectione Christi? Audi quid Christus pergat dicere. In hoc (inquit) cogno ui quoniam voluisti me, primum hoc est. Et non gaudebit inimicus super me, alterum est. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum: tertium est.

En istud solatium nostrum est, quod ex resurrectione Christi capimus, nempe quod luce clarius illinc euaserit, Deo nihil amabilius, nihil iucundius & acceptius, nihil denique coniunctius esse ipso Christo, quem & suscepit & confirmauit, ita ut ipsius hostium nemo unquam sibi sit gratulaturus de eius incommodo. Quod quid gratius audire possumus & optandum magis? Vbi melius nobiscum agitur? quid desiderare possumus? quid incommodo nobis

bis esse potest, cum illum habemus, quem Deus summopere amat, quem suscepit, confirmauit & in conspectu suo collocauit in æternum? Ad quod quid aptius quadrat, quam lætissima illa cantio & hymnus, quo psalmum prædictum David conclusit. Benedictus (inquit) Dominus Deus Israel à seculo & usque in seculum.

Sed nunc mihi considera obsecro, an non David expressè simul & aperte de Christi resurrectione cecinerit, idque in vno tantum psalmo. Quot existimas psalmos alios esse, qui non minus præclare eadem de re agunt? Quot item alias scripturas ex Prophetis quis posset adducere, que Christum aliquando resurrecturum verbis planissimis cõtestantur? Verum enim verò temporis angustia non patitur, ut omnes eiusmodi scripturæ vna vice indicari possint. Satis est, quod sciatur audiatque hunc fidei nostræ articulum ex veteri testamento quoque testimoniis niti, & fundatum esse, nec nos esse solos, quos resurrectio Christi exhilarat. Etenim optimis quibusque & electis gaudium attulit, eam aliquando futuram sperantibus. Abraham (inquit Christus) pater vester exultauit, ut videret diem meum: & vidit & gauisus est.

Nonnullas autem figuras quoque in medium adferemus, quibus resurrectio Christi adumbrata fuit. Cain fratrem suum germanum ferre non poterat, sed quod pietate & vitæ innocentia ipsum longe antecelleret, gratiaque apud Deum plus valeret ipso, quocirca etiam illi nec intulit. Verum quid nefario hoc scelere profecit? Æternam maledictionem, tremorem perpetuum, metam & periculum

ineuit

ineuitabile sibi conciliauit. Fratrem uero suum ad
immortalem gloriam promouit, & nomen peren-
ne apud omnes fideles illi comparauit.

Quid aliud iam in passione & resurrectione
Christi accidisse conspicimus? Iudicum Christum
perditum & extinctum uellent, ipsi interim pes-
sum iuerunt, Christum ad summam gloriam &
dignitatē prouehentes. Humiliauit semetipsum
factus obediens usque ad mortem, mortem autem
crucis, propter quod & Deus exaltauit illum: &
donauit illi nomen, quod est super omne nomen,
ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium,
terrestrium, & inferiorum &c. Id ipsum per Cain
& Abel praefiguratum est.

Optimo Iosepho per insomnia proditumerat,
se dominium habiturum aliquando in fratres suos,
quod cum modis omnibus impedire conarentur,
homicidium penè incurrissent, tandem latroni-
bus facti deteriores. Vinctum enim in cauernam
proiecerunt, ut periret ibi & fame conficeretur,
postea autem mutato consilio diuenerunt eum,
ut in terram peregrinam ueniret, & longè à con-
spectu illorum submoueretur. Sed cui obstare vo-
lebant id maximè adiutabant. Nam Ioseph à suis
fratribus venditus, in Aegypto ad tantos honores
& potestatem euectus est, ut cuncti mortales, atque
etiam fratres, illi supplicare cogerentur, & ex ar-
bitrio ipsius pendere, ut qui solus rebus desperatis
& famis necessitati succurrere poterat, penes
quem erat summa potestas, & qui annonae satis ad-
uersus imminentem calamitatem pro uniuersis
hominibus reposuerat.

An non

An non his congruunt ea, quae in passione & re-
surrectione Christi gesta sunt? Iudaei illum pro fra-
tre suo & Rege agnoscere non dignabantur, adeo
ut homicidium in eo committere non uereretur,
quem tamen uel inuiti iam dominum esse factum
cernere coguntur, quem uniuersus terrarum or-
bis colit, qui potestate praeditus est tam in caelis
quam in terris, quem denique ipsi quoque supplices
adorabunt, nisi fame sempiterna enecari malint.

Moses primum editurus miraculum uirgam
ab se abiicit, quae in colubrum uersa est. Pharaon
Rex Aegypti duos habebat praestigiatores, seu ma-
leficos, qui in exhibendis similibus portetis Moy-
sen imitabantur, sed cum singuli proiecissent uir-
gas suas in dracones uersas, illorum uirgas Moy-
sis uirga deuorauit ac absumpsit. Exo. 7. e

Et quid aliud in resurrectione Christi uide-
mus? Duplicem diabolus mortem in mundum in-
uenerat inter humanum genus, ut & corporis &
animae morti obnoxij essent, quae per duos draco-
nes incantatorum Regis significabatur. Christus
alteram, nempe corporis mortem in se suscepit,
qua duplicem illam & corporis & animae mortem
deuorauit & absumpsit.

Cum populus Israeliticus in solitudine quadam
vice, Deo ac ministro eius Moyse obmurmuraret,
misit in illos dominus serpentes ignitos, quorum
ictibus & tactu multi interimebantur. Moyses à
Deo admonitus aeneum erigebat serpentem, qui
tametsi speciem tantum serpentis referret, nec ut
uerus serpens haberet uirum, attamen qui eum aspi-
ciebat, illum sanitati restituebat. Num. 21. b

Quod

Quod quid aliud fuit, quàm typus & imago passionis & resurrectionis Christi? Diabolus potestatem in omnes mortales habens, veneno eos infernali perdebat. Christus in cruce pendere voluit tanquàm peccator, cum tamen peccatum non fecisset, nec inuentus esset dolus in ore eius, nunc qui eum sincera fide intuetur, incolumis est & liberatus à veneno infernali, nunquàm perit, nunquàm moritur, sed vitam æternam habet.

Iean. 3. b

Elifeus propheta cum ascenderet in Bethel, à paruis & male educatis pueris ludibrio habitus est, mox verò duo viri de saltu egressi sunt, & laceraverunt ex eis nò paucos. Et quod aliud factum cernimus in passione & resurrectione Christi? Nòne hostes ipsius acerbè satis in eumloserunt diceriis, & conuicia cõgesserunt? Postquàm autè à mortuis resurrexisset, duo venerunt immanes viri, Vespasianus & Titus, qui eos ad vnum omnes lacerarunt dissi paruntque.

1. Reg. 18. c

Sanctissimus David non à gentibus modo, verum etiam ab Israëlitis derisus, afflictus, odio habitus & ad mortem denique quæsitus fuit, nemo tamen efficere potuit, quò minus Imperium consequeretur ac obtineret. Cui autem magis vniquàm, quàm Christo homines aduersati sunt? Iudæi dicebant: Nolumus hunc regnare super nos. Quancquàm etiam Reges & Principes huic vincto Dei sese opponerent, omnemque lapidem mouerent, vt conatus ipsius impedirent, videre tamen & audire debebant id, quod Christus inquit: Ego cõstitutus sum Rex super Sion montem sanctum Dei, &c.

Luc. 19. c

Psal. 2.

Iudic. 14.

In Samfone non vnam sed plures figuras habemus.

mus. In via cum ei leo occurreret, eumque impeteret, Samson quàmuis non armatus, leonem tamè veluti hæcud discerpserit. Israëlites funibus eum ligarunt in manus hostium eum tradituri. Samson solutis vinculis, arripuit in agro maxillam asini, qua mille viros ex hostibus suis deleuit. Cum semel in urbem Gazam venisset, ciues obseruantes eum, omnem illi exeundi viam præcluserunt. At ille intèpesta nocte surgens apprehensas ambas portæ fores cum postibus suis & sera, imposuit humeris suis & ad verticem montis portauit. Postremò, cum vitæ firis instaret, concussis fortiter columnis, domum collapsam fecit, in qua principes aliique ipsius hostes erant, ita vt plures moriens, quàm viuus interficeret.

Iudic. 15. e

Iud. 16. a

Ibidem. f

Et quod per hæc omnia denotatum fuit aliud, quàm inuicta fortitudo, quæ Christus in sua resurrectione ostensurus erat? Nã tum primùm leonem diabolum discerpserit, eumque omnem potestatem ademit, omnibus vinculis sese exoluit, morte, sepulchro nec nò ipsi tartaris superior vniuersos suos hostes deuicit.

Ion. 1. d

Ionas in mare mittebatur, & erat in ventre piscis tribus diebus ac tribus noctibus, post triduum piscis eum terra reddidit, tum primum incepit Niniuitis iisque Gentibus prædicare, quo effecit, vt pœnitentiam agerent, per quam decretam à Deo pœnam à se auertebant.

Ion. 3. b

Et quid aliud in Christo videmus? Christus ipse historiam de Iona ad suam passionem & resurrectionem refert. Generatio (inquit) mala & adultera signum quærit, & signum nò dabitur ei, nisi signum Ionæ prophete. Sicut enim Iona in ventre fuit ceteri tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius

Matt. 12. e

hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Vnde quoque consecutum est, vt Christus Gentibus per suos discipulos Euangelium prædicarit, per quod æternæ morti exempti sunt.

Id genus historias vel innumeras adducere possem, quas nunc silentio prætereo, partim quia temporis breuitas obstat, partim quia necesse non est omnes historias & scripturas vna vice recensere. Satis est, nos non ignorare bona & felicitatem eam, qua hodie nobis gratulamur, in veteri quoque testamento, prædictam, notam & exoptatam fuisse. Tanto minus dubitare nobis licet, vel potius tanto certius credere possumus, Christum sua lætissima resurrectione nihil non boni attulisse nobis ac dedisse, tanto confidentius ipsius præsidio niti debemus in omnibus nostris tribulationibus, tanto voce hilariori debemus canere, Christus nostrum sit solatiū, tanto magis ex intimis affectibus gaudere debemus, vitam nobis ad hoc vsque tempus prorogata esse, tanto illi studiosius agere debemus gratias, quod taliū nos bonorum participes fecerit, tanto esse debemus paratiores ad ea quæ honesta & laudabilia sunt, tanto minus fraggi debemus rebus aduersis. Tanto audidius debemus

Coloss. 3. 9

1. Pet. 1. 4

cōtendere, vt eò perueniamus, vbi Christus sedet à dextris Dei, tanto quoque diligentius cauebimus posthac ne peccatorum macipia rursus fiamus, postquam semel pretio incomparabili empti sumus non auro, non argento, sed sanguine nobilissimo ac preciosissimo immaculati agni Iesu Christi. De talibus cibis charissimi fratres māducemus & epulemur, laudū Dei non immemores. Mortui namque eramus in peccatis nostris, sed per Christum reuiximus.

Perditi

Perditi eramus logè à vera nostra patria oberrantes, per Christum verò pastorem nostrum omnium fidelissimum, ad salutem æternam reducti sumus.

SERMO VNDECIMVS

feria secunda Pasche.



DMONVI vos superioribus temporibus, cur hoc potissimum anno, parabolam de filio prodigo prædicandam susceperim, eam nimirum ob causam, quod illa similitudo inseruire nobis possit ad omnia ea, quæ in ecclesia aliquandiu iam in vsu fuerunt & tractata, necdum in vsu esse desierunt. In ipso statim exordio me dixisse vobis memini, parabolæ huius materiam non solum Quadragesimæ ac pœnitentiæ accommodam fore, sed multum quoque profuturam ad communionem seu susceptionem sacri Sacramenti, ad passionem, ad Pascha. Nec diffido, quin euertus verbis meis fidem fecerit, quod tunc vel imprimis factum fuisset, si & ego satis recte constitutus fuisset, & tempus me non defecisset ad amulsim singula verba excutiendi ac perscrutandi.

Agite, in similitudine illam eò deuentum est, vt quæ ad nos spectare possunt, propemodum omnia in medium sint allata. Vidimus in ea inconstantiam & malitiam animi humani, miseriam & calamitatem peccatoris, tyrannidem ac improbitatem diaboli. Vidimus quoque, quomodo in peccatore pœnitentia initium sumat, augeatur compleaturque. Vidimus insuper in hac similitudine incredibilem Dei charitatem & gratiam, quomodo videlicet obuiam procedat peccatori reuertenti ac pristinam vitam detestanti, quomodo in eum irruat, oscu-

letur, vestiatur, ornetur, calciamentis ac victu illi prospiciatur. Vidimus postremò, quomodò Deus benignissimus pater, nostræ salutis ergo, saginatum vitulum Christum cælesti numine plenum occidit & mactari siuerit, ut ipsius gratiæ nos participes fieremus. Vnde certò Pascha nostrum subsecutum est, nimirum gaudium cordis nostri & conscientia, Dei laudem decantantis, atq; illi gratias agendi indefatigabile studium.

Eph. 2. e Deus (inquit Paulus) qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatē suam, quadilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos in Christo, & conresuscitauit, & cõsedere fecit in cælestibus in Christo Iesu, &c. Er alio in loco: Sicut per hominem mors, ita & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. &c.

1. Cor. 15. e

Agite, eò loci iam peruenimus cum nostro filio prodigo, in domum patris nostri nos iam recepimus: pristina dignitas nobis reddita est, propiciū habemus patrem, fauorabilem & munificum. In Christo habemus, quicquid ad solatium, gaudium, iucunditatem, & felicitatem deniq; facere potest. *1. Cor. 5. e* Is agnus noster Paschalis, is vitulus noster saginatus est. Atq; hoc quidem contenti esse possemus: nam ad altiora in terris aspirare nequimus. Quamobrem etiam visum esset hic consistere & sermonibus istis Paschalibus finem imponere.

Veruntamen, quoniam Christus ad parabolam de filio prodigo quædam appendit, illa silentio prætereunda minimè putauimus. In principio parabola Christus loquitur de duobus filiis. Hactenus solum

solum, modò de vno filio minore natu audiuius. Sed iam non latere nos debet, quid pater cum altero maiore natu filio agat. Non enim Deo cum peccatoribus tantum res est, sed iustis quoque, utrisque vult succursus esse: peccatoribus, ut in viam redeant & reuertantur: iustis, ut perseuerent & constantes sint. His itaque duobus diebus audiemus, quid Christus de filio natu maiore dicat. Lucae verba hunc in modum sonant:

Erat autem filius eius senior in agro, & cum veniret & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum: & vocauit unum de seruis, & interrogauit, quid hæc essent. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus cepit rogare illum. At ille respondens dixit patri suo: Ecce tot annis seruo tibi: & nunquam mandatum tuum præterui, & nunquam dedisti mihi hœdum ut cum amicis meis epularer, sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti vitulum illum saginatum. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

Habetis iam parabola huius & similitudinis reliquam partem, qua docemur Deum nobiscum perpetuò occupatum esse, non minus cum iustis,

vt animo infracto sint & perseuerēt, nec interim tamen insolescant, quàm cum peccatoribus. Vt in sui cordis penetralia descendant, ipsi se noscāt & conuertantur. Minor natu parenti multū negotij facesserat & curas generarat, donec in amplexus ipsius rediisset, nunc cum pater omnē posuisset solitudinē & animo pacato esset, nouā incipit tractādiā maior natu, res illi magnoperē displicet, domū ingredi recusat, patri succēset eō, q̄ filium, qui tātū aris dissipauerat, in gratiā recepisset, ita, vt plus consuetudinis ferē cū illo, donec in viam eum reduxisset, haberet, quàm cū altero. Hunc minus decebat patri obitreperere, quàm illū: cū ille nondam aetate haberet, & idcirco non multū sciret, hic verò quoniam aetate praeibat, prudentior meritò fuisse debebat, quàm vt fratri talem fortunam ac salutem inuideret, atque ea de causa aduersus patrem ira accenderetur, & quod plus est, se ipsum a patris consortio segregare in animum induceret.

Age, pater vtrinq; obstabat. Postquàm illum in domū recepisset, nunc omnem mouet lapidem, ne hic fugā ineat. Ambos quidem foras excludere potuisset, & ita dicere: Quod si ad eō pertinaces esse vultis & quisq; ex suo ingenio viuere, ambo meis illic abscedite rectis. Tam durus autem non fuit: nam pater erat. Eadē quoq; fratres dilecti Deus erga nos vtitur lenitate. Parabola ista in hoc dicta est & descripta. Quomodo enim miseretur pater filiorum, ita miseretur etiā Dominus nobis, quoniam ipse cognoscit figmentū nostrū. Nos omnes domo eiicere poterat, sed pater est. Quoniam se-

cun

cundū altitudinem celi à terra corroborauit misericordiā suam super nos. Quapropter etiam se se assimilat pastor in Ezechiele, ait se ita inter nos versaturum, vt inter oues suas pastor, qui nunc hic, nunc illic opem ferre debet, aliis nunc hoc, aliis nunc illo defectu laborantibus. Sic quoque (dicit Dominus) agam cum hominibus, quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod contractum fuerat alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam, &c. Talem patrem & pastorem habemus Deum, vt qui non latatur in perditione nostra, sed potius vult omnes homines saluos fieri, secundū Paulum. Idem testantur ipsius Dei in Ezechiele verba. Quare (inquit) moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite. Denuò iam optimo cuique Christiano data occasio est prædicandi misericordiam Dei, & dicendi cum Dauide: Benedic anima mea domino: & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & misericordiam, &c.

Age videamus nunc, quid de maiore natu fiat. Quod si allegoricè interpretari libet, dum filij duos populos significabunt, ludæos ac Gentes,ambo filij Dei sunt creationis nomine: nam idem dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Sed dispar vtriusque populi ratio est ac natura. Iudei per maiorem natu intelliguntur; hi enim

i 4



Gentibus plus cognitionis & scientiæ de rebus diuinis habebant. Illorum namq; adoptio erat filiorum, & gloria, & testamētum, & legislatio, & obsequium, & promissa. Gentes verò per minorem natu intelliguntur, qui cupiditatibus suis morem gerens, perditè viuebat. Nam Gentiū olim vitā à pecudum more nihil distabat, quemadmodum multis in locis Paulus illis indicat. lam verò Deus vtrunq; populum saluum facere decreuerat. Quo circa Christus non solum pro Iudaica natione vitam profudit, sed vt filios Dei, qui per vniuersum terrarum orbem dispersi erant, colligeret, quemadmodum & ipse dicit: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.

Sed quid accidit? cum Deus minorem natu iuare inciperet, maior natu incipit excandescere. Cum Christus cū Publicanis aliisq; terrena amantibus familiaritatem iniret, Pharisei murmurare statim incipiūt. Postea cum Christus Gētes quoq; suo Euāgelio dignaretur & sancto afflarentur spiritu, non minus ac Iudæi, nimio odio & liuore penè insaniunt. Ab eo tempore nolunt amplius in domo patris esse, in hodiernum vsque diem foris stant, audiunt totam domum gaudio & lætitiā perstreperere, at introire nolunt, malè eos habet, quòd minor natu, hoc est, Gentes quæ turpiter & flagitiose vitam exegerant, æquali honore præditi essent, & nihil esset tam lautum in domo Dei, quod cum ipsis commune non haberent.

Idem cum illo est, quod in alia quadam parabola memoratur de vineam colētibus. Ex quibus nonnul

Ephes. 4. d

Iesu. 20. c

Afl. 10. c
11. g. c

nōnulli quoq; agrè ferebāt & patrifamiliās sese obiciiebant, quod totū diē laborādo desudassent, & tamē videre cogerētur, aliis, qui vix laborē aggressi erant, tantundem reddi mercedis: hoc arbitrati, vt qui plus operis fecisset, ampliōrē meritò habiturus esset mercedem, sed non succurrebat illis, quòd nouissimis ex mera gratia, & non ipsorū meritis integra merces persolueretur.

Isthoc ipso vitio Iudæi quoque laborant, istuc ipsum in nos Gentes eos superbos reddit ac inuidos. Suum tantummodò laborem & non Dei gratiam, respiciunt. Et quidem si Deus externa opera solum commendata haberet, iuxtaq; illa nos remuneratione dignos iudicaret, Iudæi nobis lōgè præferendi essent. Nam cum nos Gentes in peccatis variisq; sordibus volueremur, porcorum ritu viuentes, & hæreditatem nostram, id est gratiā & dona, quibus nos Deus ornauerat, in vsus conferremus pessimos, iam pridem Iudæi in vinea erant, laborabant, circumcissionem, legem, aliásque constitutiones ac cæremonias habebant, quibus perficiendis pro virili eos insudare oportebat.

Conueniunt cum his ea, quæ in nostra parabola dicuntur. Maior natu in agro erat. Per se sanè reprehendi non potest, quòd maior natu ex obedientiæ officio erga patrem in agro esset, & operi gnauiter instaret, hoc est, quòd Iudæi ex mandato Dei studiosè legem obseruarent, quinimò lex Dei multum illis adiumenti adferre potuisset, si eā sanè intellexissent. Sed suis tantum incumbebāt operibus, ob quæ putabant Deum ipsis plurimum debere, quæadmodū maior natu quoq; ad patrem

Matth. 20.
4. c. b

suum ait: Ecce tot annis seruo tibi, & nunquam mandatum tuum præterui, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer, &c.

Ex his verbis vnusquisque animaduertere potest, eum plus fiducię collocasse in suum laborem, quam in charitatē & benignitatē patris. Eiusdem omnino ingenij sunt Iudæi, pluris faciunt circumcisionem & legis obseruationē, quam Dei gratiā, quam nobis Gentibus inuident, cum tamen illis nihil inde decedat, pereatue. Deus enim est diues gratiæ & misericordiæ cum in Iudæos, tum in Gētes, atque ad eō in omnes, qui inuocant illū. Attramē Iudæi nihilo legis onere fatigari malūt, quam nobiscum Dei gratiam agnoscere & prædicare.

Hoc illud est quod Christus mira verborū describit venustate. Filius (inquit) senior cum rure reuenteretur & domui appropinquaret, audiuit symphoniam & chorū. Caterū symphonia illa quid aliud est, quam prædicatio Euangelij? Et chorus quid aliud est, quam vt nos qui in Christū credimus, nusquam non laudes Dei decātemus ob gratiam illam, quam nobis indignis & præter meritum nostrum per Christū exhibuit? Quod vident nunc & audiunt Iudæi vel inuiti etiam, & eam ob rem inter omnes Gentes & nationes per totū orbem terrarū dispersi sunt, vt aut se se nobis iungāt & nostri eorūmq; patris testū subeant & nobiscū gaudeant, aut æternam crucem ac poenā sustineāt.

Deut. 32. a Prædixit enim illis Deus, se prouocaturum eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta se irritaturū illos, nec non daturum eis spiritum compun-

Psal. 68. Et ionis, qui nunquam animo quieto illos esse sinet.

Istud

Istud vnum est, quod per maiorem natu filium Christus innuere voluit. Maior natu rogabat, quid sibi gaudium istud, & tantus strepitus in domo paterna veller; præter morem & æquitatem illi videbatur, se solum agris colendis operam nauare debere, alios verò interim in paternis ædibus epulari ac frontem exporrigere. Qua de causa etiā introire nolebat. Haud secus Iudæi faciūt, nunquam satis demirari potuerunt, quòd & Gentes à Deo in gratiam receptæ essent. Quem virulentum Iudæorum animū Apostoli probe experti sunt. Nam cum primò Petrus Gētibus prædicasset Euangelium Cæsareæ, grauitè cum illo Iudæi propterea expostulabant. Postquam autem eis voluntatem Dei exponeret, nihil amplius habebant, quod possent contradicere, præsertim cum viderent, Gentes quoque sancto spiritu afflatas à Deo esse, ergo (inquiunt) & Gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.

His in parabola subnectitur, Maior natu vnum de seruis ad se vocat, percunctaturus, quid causa sit tam noui tamque inexpectati gaudij in domo sui patris. Quod verbis planissimis ideò dictū est, vt nos omnes eò melius intelligamus, Iudæos nō ex ignoratiā, sed liuore & inuidia peccare. Ex prophetis norūt idque multifariam, Gentibus etiam æternam promissam esse salutem, attamen ad eō inuidia eorum animos occupauit, vt ferre nō possint, aut agrè admodum, nos in eo loco esse.

Scire flagitas, vnde hoc rescuerint? Respōsum accipe. In domo patris nostri duos habemus seruos, qui nobis patefaciūt, quicquid diuino decretū est



est consilio. Verus & nouum testamentū est, Iudæi non nisi vnum ad se seruum accersunt, vetus tantum testamentū consulunt, quod vtrique satis illis veritatē prodit. Nihil in veteri testamēto, & præcipuè in Prophetis tā vulgare est, quàm quod populus Gētilicius in gratiā recipiendus erat, cōuertēdūsq; & vitulus saginatus propter ipsum mactandus.

Gen. 12. a
Gen. 22. e

Vel ex primo saltem verbo Iudæi deprehendere potuissent, quod Deus ad Abraham dicit: Benedicam tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ. Et in secunda promissione Deus Abraham ita affatus est: Per memetipsum iuravi, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.

Ex his verbis excæcati Iudæi suam agnoscere possent dementiam. Quamuis enim singulari polerent sanctimonia, & Dei dicto audientes essent, sicut fuit Abraham, quid possent aliud præmij polcere, quàm quod à Deo Abraham promissum fuit? Quid autem illi promisit? Non cælum, non paradysum, &c. sed semen seu prolem, in qua benedicentur omnes gentes. Quæ illa proles est? Nemo alius præter Christum. Quæ denique benedictio est, quæ per illum contingit? Remissio peccatorū per sanguinem ipsius acquisita & comparata. Benedictio non minus Gentibus, quàm Iudæis debatur, nam ita Abrahamo promissa erat, non semel, sed bis, idque iure iurando. Quid igitur est, quod iure queri possint? An oculus eorum nequā est, quia Deus bonus est?

Mat. 20. b

Agite, Fratres charissimi, quibus modis erga frat

fratrem nostrum maiorem natu Iudaicum populum geremus nos, qui consortium nostrum & patris nostri domum fugitar? Gratiam nos consecutos indignè fert. An propterea odio rursus eos prosequemur? aut domumne relinquemus, eo, quòd inuiti nos in ea videant? Nequaquam. Primò, non debemus non dolere, fratrem istum nostrum ad eam deuenisse pernicitiam ac cæcitatē, vt ipsemet sui mali autor existat, & pessimè propriis rebus consulat. Ad hunc modum Paulus sui populi deplorat cæcitatē. Et secundum doctrinam Pauli, etiamsi nos non fugiat illorum in nos odium ac malevolentia, non tamen conuenit, vt illos vicissim vel odio vel contemptui habeamus. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Et si Deus naturalibus ramis propter incredulitatem nō pepercit: ne fortè nec tibi parcat vide. Quapropter si fide stas, noli altū sapere, sed time. Si vides Iudæos ex genuina arbore resectos esse, habes vnde possis seueritatē Dei & iudicium ipsius terribile discere, in te verò perspiciere benignitatem illius & misericordiā. Hūc modum Paulus nobis præscribit, quo erga fratrem nostrum maiorem natu vti debemus. Ante omnia verò Dei gratiam propter ipsorum in nos malevolentiam & inuidiam curare debemus, ne neglectui habeamus. Quod si eam Dei gratiam sibi communem nobiscum esse volunt, per nos illis licebit: sin verò curæ eis non est, nihilominus

Rom. 9. a

Rom. 11. e

Ibidem.

ram

tamē pro beneficio summo accipimus, quōd post tot tātaque crimina & peccata, in gratiam recepti sumus. Deus quoque tale gratiæ opus, quōd in nobis Gentibus feliciter auspiciatus est, benē fortunare perget, nec propter Iudæorum murmuraciones intermitteret. Attamen Deus filiū hunc maiorem natu Iudaicum populum non penitus repudiavit, vt Paulus perspicuē docet. Fores adhuc illis patent. Postremō pater foras prodibit, & hunc maiorem natu filium rogabit, vt & ipse domum ingrediatur, cūmque minore natu filio gaudium peragat. Atque illud ipsum est, quōd Paulus in lo

Ibidem.

Esa. 59. d

co iam memorato habet. Nolo vos ignorare fratres (inquit) mysterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me testamentum: cūm abstulero peccata eorum.

Ioan. 10. e

Tum demum gaudium filiorum Dei solidum & integrum erit, tum numerus conuiuiarum erit completus, tum vnum ouile erit & vnus pastor, tum fratres isti duo Iudæi & Gentes sese mutuo agnoscent, vnāque voce laudem Deo dicent. Interim, quōd Paulus nobis iubet, facere debemus.

Rom. 5. a

Gentes (inquit) super misericordia Deum honorent. Vide, hoc Christus in calce & postrema parte huius parabolæ nobis indicare voluit, & hic quidem similitudinis allegoricus sensus est.

DVODECIMVS ET VLTIMVS
sermo habitus Feria tertia Paschæ.

IN



N hesternā concione causam ostendi, cur frater noster maior natu Iudaicus populus in hodiernum vsque diem foris cesseret, nec velit se cōmittere Christianæ Ecclesiæ seu congregationi, nec comedere de vitulo nostro saginato Christo, nec communi gaudio Paschæ nostrum nobiscum celebrare, propterea, quōd per Christum reuiximus & inuenti sumus, qui mortui eramus & perditī.

Primō in causa est, innata eis superbia, qua semper reliquos mortales omnes præ se contempserunt. Deinde lior & inuidia eos impellit, quoniā nihil dolendum magis illis accidere potest, quā quōd gratiam Dei in nobis conspiciant, idque ob eam rem potissimum, quōd cūm tot seculis sub legis Moyssi onere ipsi laborarint, videant nos tam facile in gratiam recipi. Hoc illos malè habet, cūm tamen ipsis nō minus, ac nobis pateant fores. Nos autem per libenter hunc eis honorem deferemus, quōd nobis priores in domo Dei fuerint, quōd ad diuinum cultum & Dei cognitionem nobis citius peruenerint, quōdque ij fuerint, ex quorum patribus Christus secundum carnem oriundus est, & quibus Christus ipse primō omnium Euangelicæ doctrinam tradidit, palāmque professus est, se missum non nisi ad eas oues, quæ ex domo Israël perissent. Istud honoris & priuilegij ad eos pertinere libenter pareremur, modō pro fratribus nos agnoscerent nec inuiderent nobis nostram partem gratiæ, cuius nos participes voluit esse Deus.

Ad hæc Deus plus quā per sesquimille annos eos rogauit per suos, hortatusque est, vt eādem ad

nos

Rom. 9. a
Matt. 15. c



nos in domum nostri ac ipsorum patris domiciliū velint intrare, cibum vnā capere, & gaudere. Verū nequicquā, incassum, frustrā omnia sūt. Iudicium Dei ceruici illorum impendet. Domine (inquit Dauid) obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Fiar mēsa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & in scandalum, &c.

Non est profectō, cur nos Christianos cæcitas fratris nostri Iudaici populi magnoperē delectare debeat. Dolorem potius debebat nobis adferre eorum calamitas. Fratres enim nostri sunt & illorum cuncta fuerunt, quibus nunc magnificē gloriamur, scriptura, restamētum, filiorum adoprio, gloria, hæreditas, &c. Verū quod gratia Dei nobis donata eos offendat, haud mutare possumus, nesciunt meliora, ad eos damni maxima pars redibit. Non enim idcirco ex domo patris rursus fugiemus, quod ipsi nostra præsentia lædantur & inuiti nos ibi videant, nec certē Deus inceptum gratiæ opus in nobis miseris Gentibus propter illorum murmuraciones imperfectum relinquet. Cōuertētur ad vesperam, sed famem patientur vt canes, inquit Dauid. Hactenus de Allegoria.

Sed optimus quiq; Christianus habet hīc, quod prætereā expēdat. Nō sunt soli Iudæi, in quos hoc vitiū cōpetit, qui ob gratiam aliis à Deo datam agūtur. Omnibus tēporibus hypocritæ inuēti sunt, ac etiā dū inueniuntur, qui peccatores odio nō minus atroci prosequuntur, quā Iudæi nos Gentes. Vel in Euāgelio solum reperimus Pharisæos erga suos peccatores, qui ex eodē genere nati erāt, nul

la pe

la penitus misericordia motos fuisse, cuius rei illustria extant exempla, Matthæi primò, quē Christus ex telonio vocabat. Item Zachæi, apud quem in Iericho Christus diuertebat, nec non miseræ illius peccatricis, quæ Christo pedes lauabat, &c. Quinimò si Euangeliū penitus introspicimus, cōperimus Christū hanc ipsam parabolam de filio prodigo dixisse in eiusmodi immitia ac turgida pectora erga hominē peccatorē. An verò non existimas tales inter nos Christianos existere Pharisæos, qui propter merita sua, ipsi se iudicāt dignos gratia Dei, & idcirco agrē ferunt, quod paria vel etiam maiora Dei dona aliis sine magno negotio contingant? Sed quid de hypocritis solis loquor? Fieri quādoq; solet, vt etiam piorū animi eiusmodi cogitatione sollicitentur, vt existiment, Deum plus æquo ad ignoscendum propensum esse, non tam facile debere in gratiam recipere peccatores, aut si in gratiam reciperet, non tamen debere eos extollere ad gratiæ fastigium, in quo iusti collocati sunt, qui tam grauiter non deliquerunt, &c.

Talis nonnunquā optimorum hominū animos subit cogitatio. Quapropter non ad solos Iudæos referendū est, tanquā Christus de illis solis locutus sit, sed ad nos pertinere quoq; arbitrari debemus, vt sicubi maior natu filius egressus modū est, nobis caueamus. Id enim pro certo habere debemus ex parabola hac, quod quemadmodum Deus filium suum perditum propter priorē ipsius leuitatem non auersatur & reicit, si modò respiscat & veniā roget: ita quoq; minimē sit passurus, si maior natu ferociat ac superbiat propter suum

k

Matth. 9. e
Luc. 19. a
Luc. 7. f



laborem ac perseuerantiam. Et quemadmodum Deus magnoperè delectatur, si peccator frugi esse incipiat, ita multis nominibus detestatur eum, quem sua probitas & iustitia insolentem facit. Quinimò quemadmodum simplex ac humilis confessio homini sua peccata certissimò tegit & auferit, ita fastus & tumor iusto omnem probitatem sine dubio inanem reddunt.

Vide, hoc per parabolam istam docemur, quòd nimirum non solum peccator nullus animum despondere, sed iustus quoq; nullus sese efferre debeat. Duo sunt, quæ simul doceri debent. Non sufficit, vt peccator è solemur, monendus est quoq; iustus, sui diligentem custodiam vt habeat. Nec satis est, vt iusto indicetur, quid faciendum sit, sed peccatori ostendendum quoque est, quarum rerù præsidio tutò confidere possit. Christus vtrunque coniunxit, per minorem natu filium docuit, quid peccator sperare possit ac debeat, per natu autem maiorem, quid iusto metuendum. Nihil homini peccatori periculosius est desperatione ac pusillanimitate. Nihil iusto perniciosum magis, præsumptiõe & φιλαυψία, hoc est, amore sui. Quod si inualeſcat desperatio, actum est de peccatore: præsumptio rursus si vires acquirat in iusto, nulla est ipsius iusticia.

Quapropter cordi illi sit parabola hæc, qui à scopo nolit aberrare. Nunquàm mihi crede diffides, quantumuis magnus peccator, si cogitaueris, quæ voluntate fuerit pater erga filium perditum. Nunquàm sanctimonie laudè ipse tibi assumes, si reputaueris, quem sermonem Deus cum maiore natu

natu communicarit, etiamsi reuera ad Deum dicere queas, quod tamè nemo mortalium potest, tot annis seruiò tibi, & nunquàm mandatum tuum præteriui. Nam si dixerimus, quoniã peccatũ non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, ait Ioannes: Faciam dicta de filio minore natu sufficiãt, quosq; videlicet Dei erga nos misericordie fidere & debeamus & possimus. Post hæc declarandum quoq; paucis est per maiore natu, quid fugere nos conueniat. Primò factũ probè erat & laudabiliter, q̄ maior natu domi patris sui maneret & labori vacaret, cum alter interim luxum & inertia seclaretur. Illud enim filij Dei officium est, cuius Christus ipse de se nobis exemplũ præbuit. Meus (inquit) cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me. Et rursus: Sicut mandatum mihi dedit pater, sic facio. Quamobrem laudem meretur maior natu, quòd in agro opus faciendo suum tempus consumat & officiosus in parentè inueniatur. Quod haud temerè dico, sunt enim qui hunc & pleraque alia id genus scripturæ loca ita accipiunt, tanquam Deus stoccifaciat opera nostra & obsequium, seu obedientiam. Quando legunt in Matth. quòd ij, qui in vinea non nisi vnã horam laborarant, æqualem recipiant mercedem cum illis, qui corius diei æstum laborantes sustinuerant, & quòd adolescens hic, qui patrimonio sui portionem turpiter dilapidauerat, benignius & honorificentius à patre tractetur, quam morigerus filius, illicò hinc inferunt & aiunt: Quid igitur me multum macerabo? cur id faciam? Genio meo morem geram, cum filio

1. Ioan. 1. d

Ioan. 4. e
Ioan. 14. d

Matt. 20. b

prodigo suauiter viuiam: aliis relinquam, vt cum filio maiore natu laborent, quantū velint, ego tamen tā facile, quā ipsi, gratiā impetrabo &c. Sed alia Christi mens est ac sententia. Parabolā de iis, qui in vinea laborant, Christus non in hoc recensuit, quōd multus & diligens labor in vinea Dei nec utilis sit nec promoueat, sed ne quisquā in labore suo fiducia ponat. Ita quoq; filium prodigū nobis proposuit non ea opinione, vt illius leuitatem & corruptos mores imitari studeamus, sed vt nos iuxta exemplum illius pœnitentia ducti conuerteremur, & in peccatis nostris ne desperemus.

Eodē modo hīc de maiore natu filio loquitur, non obiurgat illum ob solertiam ipsius & diligēs agri colendi studium, sed quōd laborasse se gloria retur, & fratre suo melior sibi videretur. Quapropter iudicio in singulis opus est. Scriptura non docet nos peccare, sed ne in peccatis desperemus. Sic etiam nemo à scriptura ob benefacta taxatur, sed ijtantummodò, qui opera sua bona iactitant, & in illis videri volūt & esse conspicui, quemadmodum Pharisæi apud Iudæos in suis orationibus, ieiuniis, & erogandis elemosynis. Atq; hoc vnum est, quod vitare filium Dei maximè decet, vt ne ostendet suum laborem ac probitatem, sibiq; propterea blandiatur. Alterū est, vt nullum peccatorem cōtemptui habeat, posteaquā vider Deum erga filium prodigum tam fuisse beneficū. Filius maior natu vtrinque modum excedebat, quantum enim suos labores extollebat, tantum fratris quoque peccata exaggerabat. De se dicebat: Tot annis seruius tibi, & nunquā mandatum tuū, prate

Matt. 6. a

prateriui, de fratre autem contemptim loquebatur, Filius tuus hic (inquit) deuorauit substantiam suam cum meretricibus. Verū enim uerò haudquaquā fraternè actū est. Alter alterius onera portare (dicit Paulus) & sic adimplebitis legē Christi. Et alibi: Tu quis es qui iudicas alienū seruū? Item: Nolite ante tēpus iudicare quoad usq; veniat dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Nemo discernere potest, quis alium peccatorum multitudine ac grauitate superet. Fit quandoq; vt alter de altero iudiciū ferat, eumq; condēnet, qui si ipse in sui cordis intima descenderet, longè deteriorē se cogniturus esset. Quā de re caue quemquā iudices vel etiā condemnes, nam iudicem suum habebet. Quod si verò iudicandi amore tenere, tui iudex esto. Vide, rursus istud vnum est, quod Christus per maiorem natu filium nos docere vult.

Tertiò, idque præcipuè nostris animis infigere vult, ne iniquiores simus in peccatōre, propterea, quòd & illum Deus sua gratia dignatur. Vera ac Deo placens iustitia compatitur, ficta autem iustitia succenset, nec alterius infortunio mouetur. Idcirco etiam pater ait: Oportet te filii gaudere, quoniam frater tuus inuentus est, & saluus ad nos rediit. Si verè Dei filius es, meritò afficiēre gaudio, si peccator ad meliorem mētem redeat. Deus illi ignoscit, cur tu illi ignoscere dedignaberis? Estote misericordes (inquit Christus) sicut pater vester in cœlis misericors est.

Ante omnia autem caue contra Deum mures eò, quòd tam facile paratus est hominē pec-

catorem in gratiam recipere. Nō frustra nomina tam illustria illi attribuuntur, vt dicatur clemens, misericors, benignus, patiens, præstabilis super malitia. Proprium namq; illi est misereri & parcere. Fidelis est, & se ipsum negare non potest.

Super qua re optimus quisq; Christianus non tam irascendi, quàm admirandi multas & iustas causas habet, q̄ Deus tantæ sit bonitatis, vt etiam eos, qui ex animi quadam insolentia se ab ipso alienarunt recipiat, eosq; reuocet ad sese, à quibus contemptus fuit. Obstupescere præ admiratione debemus, nec obstupescere tantum, sed etiam præ gudio exilire, quòd tanta Dei sit misericordia. Nam quò plus peccatores recipit, eò certius sperare possumus, eum nostri quoque miserturum.

Præter officium itaq; fecit maior natu filius, q̄ propterea patri obganniret, cum tantò plus eum adamare debuerit, & ita secum reputare: Si pater hoc facit filio vsque ad eòd rebellis ac insolenti, meū certè laborem & obedientiam non tradet obliuioni. Si in malos beneficia confert, quomodo auxilio destituere possit bonos? Quomodo miseretur pater filiorum, ita miseretur Dominus nobis, ac potissimum se timētibus. In summa, Deus vtrinq; sibi vendicat gloriam & laudem, quòd ipse be nefactis hominum dignam mercedem reddat, peccantentes verò in gratiam recipiat.

Quamobrè si peccator es, scias Deū esse, qui tibi tua peccata velit cōdonare, inodè ex animo resipiscas, & gratiā roges. Sin iustus es, & laboras in Dei obedientia & seruitute, certò tibi per suum habero eum cumulatim tuo labori satisfacturum,

Quic

Quiescāt oculi tui à lachrymis, & vox tua à ploratu (inquit ipse per Hieremiā) quia est merces operi tuo. Et Christus in Euangelio: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.

Qua de causa optimè Christiane cōtentus esto eo, quod Deus tibi dedit ac promisit, ne moueat te, q̄ cernis alteri quoq; & misero peccatori Dei gratiam contingere, nec enim tibi quicquàm inde decedit, etiamsi Deus singulis diebus multa hominum peccatorum millia in domū suam & in gratiā recipiat. Diues est in omnes, qui inuocant illū. Audi & cōsidera, quid ipsemet ad te dicat: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. En hīc Deus te suum filium appellat. Spem tibi certissimam dat, te omni tempore ac per omnia secula apud ipsum acturū, promittit tibi, omnia, quæ habet, tua fore. Quid melius maiusve optare potes?

Vicissim verò quid à te petit? Vt æquo & patienti animo feras fratrem tuum, nec solus obtinere velis cœlum, sed aliis quoque aditum ad id concedere, cum amplum sit satis, vt ait Propheta: O Domine, quàm magna est domus tua, & ingens locus possessionis tuæ! Et Christus: Multæ sunt mansiones in domo patris mei.

Hoc iam nos docere vult Christus sub finem huius parabolæ, & tum præclare agit in domo patris nostri, si peccator bonorum exempla admiretur & ad suam vtilitatem trahit, vt & ipse hoc modo vitam suam rectè instituat, si que is, qui bonus est eum patienter ferat, donec ad eundem gradum perueniat. Sic enim natura comparatum est, vt res mortalium ad similem statum

k 4



Ioel. 2. c

2. Tim. 2. b

Psal. 102.

Hier. 31. d
Matt. 5. v

Rom. 10. e

Baruch. 3. e
Ioan. 14. v

nunquam redigi queant. Semper peccatores inueniuntur, inueniuntur quoque probi, hi se inuicem ferre debet in vna domo, in vna Ecclesia, alioquin nulla spes de pace futura esset in domo Dei. Deus Opt. Max. nobis suam gratiam omnibus prester, vt ex animo ad ipsum conuertamur, & per totum vitam nostram tempus hoc vnicè studeamus, vt voluntatem ipsius exequamur, quò manere etiam nobis cum illo in immortalitatis gloria cumque omnibus electis cœlestibus ipsius bonis frui liceat. Amen.



EIVSDEM FERI SERMO-
nes tres, Moguntia habitus, in
Prouinciali synodo,
Anno 1549.

*SERMO I. & veluti preeludium Synodi, cœ-
pti Dominica Misericordia Domini, super
Euangelio, ac Epistola eiusdem Dominice,
Ioan. 10. 1. Pet. 2.*



Qvò breuius est istud Euangelium in verbis, eò plura homini pio prebet consideranda, idque potissimum faciunt quintuplices similitudines, quibus Christus in eo vtitur. Et primo quidem similitudo de bono pastore, postea de mercenario. Tertio, de fure. Quarto, de lupo. Quinto, de ouibus.

Hæ

Hæ (inquam) quintuplices similitudines istud Euangelium alioquin perbreue, ad eò latè patere faciunt, vt quis de vnaquaque earum non semel, sed multoties dicere cogeretur, si perfectè eam explicare, nec praterire quicquam velit, quod ad eam pertineret. In prima namque similitudine totius Christi imago nobis proposita est, quid videlicet apud nos & pro nobis fecerit, & adhuc faciat, ac insuper, quomodo suos Apostolos eorumque posteros velit esse constitutos. In secunda habemus magnam illam multitudinem ambitiosorum, auarorum, proprii emolumenti studiosorum ministrorum Ecclesie, atque hi mercenarij rectè appellari possunt. In tertia similitudine, graphicè depicta est vera hæreticorum indoles hi veri illi fures sunt ac latrones, vt qui nihil aliud agunt, quam furantur & prædantur. In quarta similitudine sanguinolenta diaboli Tyrânis expressa est, hic lupo est, qui abigit oues, discerpit & vorat, quicquid potest nancisci, reliquum gregem dispergit. In quinta similitudine expositam habemus veram hominis Christiani naturam, hic ovis illa est, de qua totum agitur, quicquid vnquam verus pastor, mercenarius, fur & lupo fecere vel adhuc faciunt. Hanc ouiculam omnes expetunt, sed dissimili ratione. Christus salutem ipsius desiderat, quod omnes boni pastores faciunt. Mercenarius suam mercedem querit. Fur & hæreticus ouem educunt ex ouili. Lupo eam diripit ac deglubit. Quis iam non videt quanta rerum copia in his paucissimis verbis comprehendatur?

Et quidem hæc ad eò sunt, quæ in synodis no-

k 5

stris pertractari deberēt. Nempè quomodo istud exemplum habeatur præ oculis, qui sint pastores, quomodo mercenariis proprij commodi studio sua auaritia, perniciosis seductoribus fraus & machinæ, hosti sanguinis sitienti, atrocitandi studium impediri, oues Christi in optima disciplina conseruari, rebelles verò & factiosi coerceri & sedari, & rursus in rectū ordinem redigi possint.

Ad hunc modum maiores nostri suas celebrarunt synodos. Non erat ostentatio, sed seueritas. Non erat ibi magnificus ornatus aut splendor, sed cura magna & amor, Dei honor, Ecclesiæ vtilitas, & decus hominum salus potissimum illis corde rant. Cuius rei illustre exemplum habemus in Diuo Bernardo, qui olim in synodo quadam hodie num Euangelium enarrauit, sed ita, vt meritò omnes optare debeant illam concionem in omnibus synodis, aut conciliis de verbo ad verbum legi, idque statim ab initio.

Charissimi Domini ac patres (inquit, sed alijs verbis) quos tantis honoribus Deus dignatus est, & quos ratione muneris ac potestatis vestrae non solum supra Reges omnes ac Principes, verum etiam supra Angelos statuit, aduertite animū, iam verba huius Euangelij corā auribus nostris lecta sunt. Atque vtinam satis rectè ea percepissemus. Tum autem verba Christi satis rectè intelliguntur, quando in ipsum opus conferuntur. Intellectus bonus omnibus facientibus ea, inquit David.

Psal. 110.

Homines mundo dediti in speculo per visum cognoscunt vultus habitum, num formosi sint, an verò deformes. Nos speculū habemus, in quo plus per

per auditū, quàm per visum deprehēdimus, quid deceat nos, de deceat ve, quid remoretur nos, aut quid promoueat. Nostrū speculū est istud Euāgelij, in hoc obtestor vos, contemplantini, non faciē nobilitatis vestrae, sed statum quotidianæ vestrae cōuersationis, considerate & præterire nolite, vnusquisq; suā cōscientiā examinet, vt prout illa vobis testimoniū dederit, ita vel laudite vel conremiscite. Nam quemadmodum illud cōsciētię testimoniū nonnullis summum adfert gaudiū, sicut in beato Paulo videre est, ita quibusdā summo probro est & ignominia sempiternæ.

2. Cor. 1. 4

Ceterū Christus in tribus personis simul cōplexus est totum ordinem prælatorum, atque eorum, qui Ecclesiam administrant. Proponit nobis bonum pastorem, mercenariū & furem. Si boni pastores estis, gaudete, quoniam merces vestra cōpiosa est in cælis. Si mercenarios agitis, est quod timeatis: ingens enim vobis imminet in terris periculum. Sin verò fures estis, ingemiscite & trepidate, nam locus vester certissimò vobis paratus est in tormentis, nisi ad pœnitentiam properetis. Hæc omnia Diuus Bernardus exponit in illa concione, tanta cum verborum grauitate, vt certè, qui ea attentè vel audiat vel legat, negare non possit cōscientiam suam commotam esse. Ad hunc modum Ecclesiæ iste doctor olim in concilio hodiernum Euangelium adhibuit ac vsurpauit. Sperabimus Deum istam quoque institutam synodum & congregationem Ecclesiæ prælatorum, suo spiritu ac gratia adiuturum. Vt hoc aliæque plura seriò perpendantur, proponantur

Matth. 5. 6

tur

turque. Quapropter preces ad Deum fundemus, ut suo spiritu synodum hanc regere ac moderari velit ad suam gloriam, animarum salutem, & utilitatem sanctæ Christianæ Ecclesiæ, sicuti summo perè necessarium est. Quamobrè id negotij, quod ad pastores & mercenarios, fures & lupos attinet, illis pertractandum relinquemus, qui ad synodū vocati sunt, & ad quos præcipuè spectat.

Interim tamè nos ex vulgo minimè ociosi esse debemus. Sūt alia plura in hodierno Euāgelio cōmemorata quæ nos cōtingūt. Exēplū Christi est & nostra vocatio. Quod illud exēplū rogas? Ego (inquit) sum pastor bonus. Istud exemplū nobis proponere debemus, nostrū est, quod circa hodiernū Euāgelium diligenter animis nostris infigemus.

Ioan. 10. c

Ezech. 3. b

Christus ipse bonū pastore se appellat, hoc nomē ipse sibi ascribit, ita vocatur & talis est, ita illū nominarunt antiqui propheta, talē se declarauit iā inde ab initio, curā pro nobis gessit omni tēpore.

Creauit, aluit, conseruauitque nos, verbū suū nobis dedit, & fideles ministros, qui illud mortalibus prædicarent. Postremò ipse ad nos venit, oues suas nonaginta nouem in solitudine reliquit, illam vnicam ouem palantem ac errabundam secutus est, & in medio luporum inuenit, domū humeris suis in cruce deportauit, & vitam pro illa exposuit. Porro nouos pastores post suam resurrectionem nobis constituit. Et ipse quoque adhuc nobis patrocinari, nos sub tutela sua habere, nos docere, nos protegere, nobis victum tam temporalem quàm spiritualem comparare non desinit.

Luc. 15. a

Ioan. 2. o. f

Ita Christus se erga nos gessit, ut bonus pastor opti

optimo iure dici possit. Nec factum mutat, talem adhuc se ostendit, talem ostēdet se, quàm diu vel vna in terris ouicula & in periculo fuerit constituta. Hoc certò nobis de illo persuasum esse, hoc gaudium incredibile circa Euāgelium istud nobis adferre, hoc confidentes nos reddere in omnibus afflictionum procellis debet.

Interim tamen nobis videndū est, ut ipsius oues & simus & maneamus, illum pro vero nostro habeam⁹ & cognoscamus pastore, illū audiamus, illi obtemperemus, & ita mutuo inter nos viuamus, non vt cōtentiosi, & inuidi canes, sordidi porci, crudeles leones, lupi rapaces, vafri vulpes, superbi equi, pigri & imperiti asini, sed vt innocentes, submissæ, & patientes ouiculæ, quæ nemini offiunt, sed prosunt omnibus. Hoc (inquàm) nos omnes in cōmuni circa hodiernum Euāgelium considerare oportebat.

Ioan. 10. a

Id ipsum quoque Petrus habet in hodierna episto. I. Pet. 2. d
la, in qua similiter Christum nobis proponit, tanquàm pastore & Episcopū animarū nostrarū. Oues etiā nos appellat, quæ diutinis erroribus actæ, nūc ab hoc, nunc ab alio lupo abrepta, iam verò suū rursus pastorem inuenerunt & intra ipsius sepes iterū collectæ sunt. Vult nos huic adharere pastorī, vt qui nobis omnibus sufficiat, de cuius fide & amore nobis dubitādū nō sit, præterea vestigia eius vt sequamur, nobis præcipit, præcipuè in innocentia: is enim peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Deinde quoque in humilitate, qua se exinaniuit formā serui accipiens. Tertio in dilectione, ex qua peccata nostra ipse pertulit.

Phil. 2. a

Post

Postremò quoq; in patientia & animi mansuetudine, ex qua cum pateretur, non cōminabatur, sed illi vindictam relinquebat, qui iustè iudicat. Hæc vera & genuina indoles ac natura est ouium Christi, hoc est, omnium Christianorum, nimirum humilitas, innocētia, dilectio, māsuētudo, & patiētia.

Quod si itaque pastores nostri & Magistratus Ecclesiasticus in synodo fecerint, vt bonos pastores facere æquum est, & fideles Ecclesię ministros constituerint ac ordinarint, eosq; promouerint, hæreticos & impostores reiecerint, & suas ouiculas à lupo, hoc est, à malo spiritu conseruauerint, nos verò interea cogitauerimus, cur Christus se nostrum pastorem, & nos suas oues appellet, Euañgelium quidem istud & epistolam non sine fructu audiuius, nec dubium est, quin exinde Deus honore afficiatur, sacrosancta Ecclesia instauretur, nos verò bonis omnibus accumulemur.

SERMO SECVNDVS IN SYNODO dominica Iubilare, habitus super Euangelio illius Dominice. Ioan. 16.

POST QUAM prouincialis synodus iā incepta est, & propterea pastor vester ordinarius reuerendus dominus suffraganeus, vir vndequaq; doctissimus, aliis, quæ synodū concernūt negotiis occupatus, muneri prædicandi hac vice non potest vacare, in me rursus manè cōcionandi deuoluta est prouincia, qua certè carere nūc amplius libenter & velim & possem, hoc præferim tempore. Nam sanè videtur mihi in synodo, qualis modò habetur & celebratur, ad quam tot tamq; eximij prælati, tot

tām

tāmque raræ eruditionis viri, ex tot diocesisibus & regionibus conueniunt, huic loco melius prouidendum esse debere, quàm per me, præferim cum omnibus notissimum sit, emendari posse, laus superis, & me ad hoc munus magis idoneos apud nos inueniri. Nec mihi dubium vllum est, quin aliqui sint, qui tantò libentius huc concesserunt, vt illis saltè suffraganeum nostrū virum facundissimum audire liceat, iam verò pro thesauro inueniūt carbones. Eaq; res, vt ingenuè fatear, me ad hanc cōcionem aliquāto difficile & tædiosum reddidit. Attrahē rursus me cōsolatur, quòd tale sit argumentū, propter quod synodus ista coacta est & cōgregata, de methodo nimirū & via quærēda, qua Ecclesiis passim prædicatoribus melius prospici possit.

Non enim apud nos solū defectus est, quo nomine illis minus displicebimus, sed eadē, qua nos ipsi quoque inopia laborant. Idem fermè iā multis ab hinc annis vbiq; locorū studium & diligentia fuit erga Ecclesiam. Verū spem concipimus maximā, synodum istam cum hoc tum alia plurā correcturā cui nūc istud negotij demādabimus, nosque ad prædictum Euangelium conuertemus.

Primò itaq; aperiā vobis, cur iā à festo Pascha- tis legatur, cum tamen neminē fugiat, Christū verba hæc priusquam pateretur dixisse. Deinde paucis vobis mōstrabo, quæ sit huius Euangelij sententia. Postremò, quomòdò ad nostram synodū accōmodari possit, nec illis solum vsui futurū sit, qui peculiariter ac nominatim ad eam vocati sunt, sed iis quoque omnibus, quibus volupe esset videre, vt ex congregatione hac honestissima enascer-

ren

rentur fructus incomparabiles. De his tribus dicere vobis aliquid decreui, sed duo priora quam paucissimis expediam, vt tantò plus spatij mihi sit, de tertio paulò fufius dicendi.

Quod autem Euangelium nunc post festũ Paschatis in Ecclesia legatur, id ea de causa fit, quòd Christus gaudium suæ resurrectionis certissimè in eo prædixit, quemadmodum Apostoli deinde ipsa experientia didicerunt, & omnes verè fideles indies adhuc discunt, tale nempe gaudium, quo non corpus, sed animus totusq; internus homo reficitur, gaudiũ, quo omnes hominis perturbationes & tristitię tollũtur, gaudiũ, quod perpetuũ est.

Hoc est gaudium resurrectionis Christi, quod apud nullos alios inuenitur quàm apud eos, qui
Eph. 2. a firmiter & constanter credũt id, quod Paulus ait: Deus, qui diues est in misericordia, conuiuificauit nos in Christo, & conresuscitauit, & confedere fecit in cælestibus. Et quod Petrus dicit. Certissimè sciat omnis domus Israël, quia & dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quẽ vos crucifixistis. Hic enim lapis est, qui reprobatus est ab ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & nõ est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, &c. Hoc qui credit & cui persuaderi potest, is proculdubio tale in animo suo sentit gaudium, de quo iam dixi. In resurrectione namque Christi primò videmus, peccata nostra ablata à nobis, expiata & abolita penitus esse, quando quidem Paulus inquit: Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra: adhuc enim estis in peccatis ve

tis vestris. Quod autem gaudium animo & conscientia maius optabiliusve contingere potest, quàm si à peccatis liberetur? Secundo, in resurrectione Christi videmus mundũ cum suo principe deuictum esse, quod etiam externas tribulationes & aduersitates nobis faciliores reddere potest. Tertio resurrectio Christi nobis certissimum argumentum, nos quoque resurrecturos esse, quod gaudium nostrum confirmat & perpetuum facit.

Hæc omnia Christus in isto Euangelio prædixit. Iterum (inquit) videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Hic habes gaudiũ conscientia. Mulier cum peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Hic habes gaudiũ hominis Christiani in afflictionibus & angustiis constituti. Et gaudium vestrum nemo tollit à vobis (inquit tertio) hic habes gaudium Christiani hominis nulla calamitate interrumpendum, atque ad eò sempiternum.

Vsq; eadè certò Christus in hoc Euangelio prædixit, quod postea sui fideles post suam resurrectionem experti sunt, & adhuc experiuntur. Non itaq; mirum est, à Paschate hoc Euangelium legi, etiam si in passione aut ante passionem dictum sit. Et hoc quidem vnum est, quod circa istud Euangelium expendi debet, quod homini pietatis studioso etiam in hoc inseruire potest, vt & in aliis rebus ad antiquas ceremonias & Ecclesiæ instituta tantò diligentius animum adhibeat, nec vllò modo temerè ea improbet damnève, postquam per hoc Euangelium elucescit, pro temporis ratione ordinari melius non potuisse.

Gaudiū nobis attulit resurrectio Christi, ipsum nobis gaudium per hodiernum nuntiatur Euangelium, sed iis solum, qui prius cum Christo acerbitate crucis degustarunt. Eius enim gaudij mundus nullam partem habet, quemadmodum etiam spiritus, quē Christus suis dedit ac promisit. Ignarus planē mūdus est istius gaudij, quanquam nihil non excogitat, nihil intentatū relinquit, quod ad gaudium facere potest. At tamen illius gaudium externum tantummodo gaudium est, nec pectus & conscientiam penetrat, præterea amaritudine mixtum est sæpiusq; grauisimis tribulationibus inturbatur, nec porro durabile esse potest, eò quòd fundamentum infirmum est, & temporalibus tantummodò nititur. Sed aliàs hac de re,

Causam accepimus, cur Euāgelium istud hodie in Ecclesia legatur. Quid Christus in eo sibi velit, deinceps quoque audiendū est. Curiosa hęc ostensione non admodum opus est. Suis per hoc discipulis ac fidelibus, animum, fiduciam & robur ad dere voluit, vt ne eos offenderet crux, quā primò in ipso visuri essent, postea ipsimet experiri cogentur. Hęc (inquām) præcipua & tota sententia est, ad quam omnia istius Euangelij verba dicta sunt & directa, ac potissimum exemplum de muliere parturiente. Hoc Apostoli in passione Christi considerare debebant, & in memoriam reuocare, quando ipsimet passuri essent. Hoc Christiani considerare vsque debent, quando tentationes ingruunt, & in angustias coguntur.

Sententia lata est in mulierem, vt in dolore filios suos pariat, nec aliqd hęc sperandum est. Non potest

potest redimi argēto. Ita etiam ordinarum à Deo & decretum est, vt omnes mortales, qui ab æterno prædestinati sunt, nunc autem ad gratiā per Euangelium vocati & iustificati, vel etiam glorificādi cælesti beatitudine, conformes fieri cogātur imaginis filij sui, & per varias afflictiones ingredi in regnū cælorū. Quemadmodū prius Christo pati necesse erat, quod Deus ordinarat & Prophetę scripserant, & postea demum in gloriam suam ferri.

Hęc (inquām) sentētia Dei & voluntas est. Per stultitiam crucis suos fideles vult saluos facere, quod nemo mutare potest mortalium. Quemadmodum igitur mulier instāte partu, tamen si horā sui doloris se effugere non posse, hanc tamen consolationem habet, q̄ aliter fieri nequeat, q̄ cū aliis mulieribus cōmunis dolor sit, & quòd sensus illius doloris non sit diuturnus, postremò q̄ gaudium sequatur ineffabile, atq; hoc pacto fit, vt dolor mulieri parturienti facilius sit & tolerabilior.

Ita quoq; homo Christianus cogitare debet in sua cruce & passione. Primò, aliter fieri nō posse. Nam crux via est ad regnum cælorum. Secundò, se solum non esse. Tertiò, vix horam, vel potius, vt Esaias loquitur, ad vnum momentum durare. Quartò breuissimam illam & momentaneam ærumnam allaturam nobis ac generaturam æternam & supra modum insignem gloriam.

Istud est, quod Christus in hoc Euangelio vult ac sentit, & hoc modo suis fidelibus sermone suo, animū, robur & fiduciā indere vult aduersus omnes malorū tempestates & cruciatus. Quod vnus quisque in suum vsum sic accommodare poterit,

vt patientius eò ferat crucem à Deo sibi imposi-
tam, cum videat Deum præter crucem quoq; adhi-
bere varias consolationes. Et hæc quidem ea de re
dicta sufficiant.

Tertium illud, latius explicandum est & didu-
cendum, vt intelligamus videlicet, quid ex hoc
Euangelio in nostra iam synodo perpendere ac fa-
cere debeamus, non ij tantum, qui peculiariter ad
eam vocati sunt, sed nos omnes quoq; in cõmuni
quotquot nostrum sunt, qui ex animo cupiunt, vt
synodus hæc ad profectum Ecclesiæ inseruire
possit. Et hic proferenda rursus est similitudo de
muliere parturiente, sed alio modo. Opinabi-
mur, tanquam Deus non nisi de vna & peculiari
muliere locutus sit, quæ nunc temporis cum im-
mensis doloribus penè differatur, postea tamen
mirabiliter gaudiis rescinda sit. Sancta, Catho-
lica, Christiana est Ecclesiæ, seu multitudo om-
nium fidelium, qui vnquam fuerunt, qui adhuc
sunt, quiq; futuri vsque ad finem mundi.

Hæc mulier illa est, de qua euangelium istud al-
legoricè intelligitur, magna mulier, sancta mu-
lier, mulier, de qua tam illustria passim in scriptu-
ris extant testimonia, mulier, cui Deus se fide per-
petua obstrinxit, & cum qua leges matrimonij
iniuit, mulier, propter quam Christus vitæ discrimen
subire non veritus est, quam suo lauit sangui-
ne, vt ipse sibi exhiberet gloriosam sponsam non
habentem maculam aut rugam, mulier, quam
Ioannes conspexit a micam sole, & corona stella-
rum ornatam. Idcirco autem mulier vocatur, in
litteris sacris, quò certius ac manifestius ostenda-
tur

Esa. 54. b

Osee. 2. a

Ephes. 5. e

Apo. 12. e

tur vtrunq; amor ineffabilis, quo Deus tenetur
erga suos fideles, & sincera fiducia, quam vicissim
erga ipsum habere debent.

Melius suum in nos amorem Deus haud decla-
rare potuisset, quam quòd dicit: Sponsabo te mihi
in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia & iu-
dicio, & in misericordia, & in miserationibus, &
sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Domi-
nus. Nos verò nihil gratius illi vicissim facere pos-
sumus, quàm si fide nostra, spe, & charitate illi adhuc
rescãmus soli, quemadmodum proba mulier nullum
tam desiderat, suspicit ac veneratur, quam suum ma-
ritum, ad nullum refugium habet, præterquam ad eum,
cui semel fidem dedit. Et sic quidem coniugem ha-
bemus, quam obseruare oppidò quàm diligenter
debemus. Quid igitur Euangelium habet? Mulier
cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius,
Verissimum sanè est, & ita res sese habet.

Christiana Ecclesiæ, haud est mulier sterilis,
quoniam semper semen suum cælitus accipit, hoc
est, Dei verbum, quo Deo suo coniugi liberos pa-
rit. Sed difficulter parit, & proles suas in maxi-
mis doloribus producit. Quos dolores sentiebat
in Ægypto: quot obstacula occurrebant ei? quo-
ties ad cælum vocem intendebat, donec difficulta-
tem superasset, & primum Deo ædidisset foetum
in monte Sinai. In quot quantisque periculis hæc
mulier, congregatio & populus fidelium constitu-
tus fuit? quoties mors ipsius oculis obuersata est,
donec Christum enixa est?

Post resurrectionem Christi, quibus eam dolo-
ribus affecerunt Iudæi, Gentes, Tyranni, hære-

tici, & malè fidi pastores, fìcti Christiani, & filij intractabiles ac feroces? Quid nostra adhuc ætate perfert à pastoribus ad rem suã plus equo attētis, ab hēreticis & schismaticis, à Turca crudelissimo Tyranno, & à liberis suum ingeniũ sequentibus, donec tandem suas proles in lucem proferat?

O si quis dolores ipsius & angustias posset & vellet animo complecti! O si quis gemitus illius, querelas & clamores audire posset! Cui comparabo te? (aiebat olim Ieremias de suo populo & ciuitate Ierusalem) magna est velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Istud in hãc quoque conuenit mulierem. Continuis enim temporibus in anxietate est, plorans plorat in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius. Rogas quid tandem illi desit?

Primò, semper adhuc grauida est, liberos suos nondum omnes peperit, aut etiam si quos semel peperit ad vitam gratiæ cum labore & dolore maximo, eos secundò maiore cum labore & dolore parere debet ad vitam immortalis gloriæ. Vna hæc doloris causa est.

Altera causa est, quæ sponsum & dominum suum non videat, sed nouerit illũ profectũ esse in lóginquam regionẽ, ita vt propemodũ vidua sit, deserta in mundo, vbi nihili sit, nec quisquam est, qui si delitatem aliquam erga eam declaret. In his omnibus, quamuis Christus inuisibilis & proximus ei adsit, ita tamen se gerit, ac si non nosset eam, nec videret ipsius dolores ac pœnas.

Tertia doloris ipsius causa est, quòd non solum Christum suum sponsum nõ videat, verum etiam in

versetur inter medios hostes. Sollicitat eã diabolus, vexant eam & oppugnant Tyranni, dilacerat ac scindunt eam schismatici & desertores, diris conuiciis ac contumeliis eam insectatur hæretici, grauant eam homines voluptati dediti, depopulantur eam Ecclesiastici. An non iustas satis tibi habere videtur causas lugendi lachrymandique?

Quarta doloris causa est, quòd liberi ipsius miserè seducantur & seducti sint, ita vt ne propriam matrẽ quidẽ velint agnoscere, sed quibus possint modis eam fugiant, senium ipsius contemptui habeant, rugas derideat, imbecillitatẽ eius despiciat, nihili faciant eius admonitiones, leges eius labefactent, doctrinã deserant, sacramenta reiiciant, hostibus illius sese adiungant, omnẽ sequantur leuitatem, variis sese peccatorum sordibus contaminent, ac erroribus deniq; multiugis implicentur. Et quis omnem miseriam enarrare possit, quæ apud multos Christianos in peccatis & erroribus cernitur? Sic itaq; mulier ista optima, nostra verò mater omnium charissima: triste hoc spectaculum videre cogitur, quòd ipsius filij in eius conspectu in captiuitatem, hoc est, in peccata & errores varios, quinimò in certissimũ & nunquam finendum exitium pertrahantur. Quid autem fidelissimæ matri contingere potest tristius?

Quinta causa est, cur probissima hæc mulier mater nostra multis nominibus nobis amanda luceat ac ploret, quæ paucos reperiat, qui fideliter & sincere cũ ea agat, inter eos etiã, quæ se amicissimos seruos, pastores ac defensores illius profitetur, nec solũ victum & amictũ, sed honores quoq; & facul



tates, sæpenumerò etiam principatus ex ea habet, attamen nulla eorū erga eā fides est & amor, nullaq; prorsus cura. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius (inquit Hieremias.) Amici appellantur, cum quādoq; hostibus plus noceat. Serui vocantur Christi, cum tamē sæpe mali spiritus imperata faciant libentius, quàm Christi & Ecclesiæ. Successores dicuntur Apostolorū (vt verbis Bernardi utar) sed non imitatores. Locū Apostolorū tenere volūt, at ea, quæ Apostolos fecisse vident, præstare nolūt. Sacris initiātur, vel potius vi sese statui Ecclesiastico ingerūt, nō vt ministrēt Ecclesiæ, sed vt lucrū inde referāt: nō vt laborēt, sed vt otium agant. Nō in hoc tantum Ecclesiæ obsunt, q̄ pro se non laborent, sed potissimū quoq; q̄ non parent idoneos, qui vicem ipsorum supplere possint, vel ob id præcipuè, q̄ apud horum nonnullos nihil sit abiectius & vilius iis, quorum industria & studium erga Ecclesiā, quàm notissimum est. Vix tantum bonorum ab Ecclesiā ad eos redire sinunt, vt famem possint propellere.

Eiusmodi homines Ecclesiā plurimis in locis habet, & plus quàm par est. Hi totam aliquot in locis Ecclesiā possident, & primas tenent. Hi hostes sunt omnium maximi, hi plus damni adferūt, quàm omnis Tyrannorum & hæreticorum multitudo. Nam hæreticum manifestum (inquit Bernardus vir probitate eximius) foras excludere posset, non aliter, quàm membrum aridum à corpore diuiditur. Quòd si Tyrannus publicus aduersus Ecclesiā insurgat, posset fortè sese occultare & hoc pacto violentiam arcere. Istos autem à se abigere

abigere nequit, postquàm primum & digniorem obtinent locum, nec potest se subducere conspectui illorum, postquàm tanta sit frequentia eorū, qui Ecclesiā passim in suam redegerunt potestatem. Quocircā meritò optima mulier de talium iniuria queritur, Educaui mihi liberos, eosque ad honores promoui, nunc verò ipsi ludibrio me habent. Commodè etiam cum Êsaia dicere possit. *Esa. 1. d*
Esa. 38. d
 Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Hęc sententia (inquit Bernardus) verissimè in nostri seculi Ecclesiā quadrat.

Cum Tyranni crudelissimè sæuissent in Christianos, amaritudo Ecclesiæ erat penè intolerabilis. Acerbius quiddā patiebatur, cum vndique ab hæreticis infestaretur, & amarulentissimè in eā calamum improbi stringerent. Nunc cum putemus Ecclesiā habere pacem, multò omniū indignissimis tractatur modis, & amaritudine nunquàm audita affligitur, idque fit à nullis aliis, quàm à suis propriis filiis, & quorum curæ commendata est.

Atque ita arbitror neminem esse, qui non videat, euertum docere de sanctissima muliere Christiana Ecclesiā rectissimè dici hoc verbum, quod Christus ait: Mulier cum parit, tristitiam habet. *Ioan. 16. d*
 Et hæc causæ sunt, cur tristetur & continuo clamet ac dicat: O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus. *Thre. 1. d*

Tā multiplices dolores, gemitus & clamores probæ achonestæ mulieris matris nostræ amantissimæ meritò nos, si modò veri Christiani sumus, permouere debet, & ita permouere, vt omnes ad ferendā opē parati simus quisque pro virili. Quo-

modoaūt ab omni miseria eā liberābim⁹ & lachry
mas eius sedabimus, quā per synodos & concilia
Ferro & armis Ecclesiæ non consulitur, diploma
tibus multò minus, postquā nemo sit, qui vel
tanti ea faciat. Scriptitare & libros magnos com
ponere parum quoque ad rem attinet. In fugge
stu verò prædicari & vociferari, operā propemo
dum perdere est. Concilia & synodi faciant hoc
necessè est. Hæc sunt vera via & medium, quo
iuuari Ecclesia potest.

Sæpe à conciliis solationem accepit, & dolores
ipsius mitigati sunt. Authoritate conciliorū ad
huc iuuari potest. Atq; vtinā concilia & synodi tã
generales quā prouinciales semper habitę essent,
quemadmodū optimis patribus visum erat, & ab
illis ordinatū, haud in eas angustias et calamitatē,
qua nūc p̄mitur Ecclesia deuenisset. Quippe cer
tū est, lolij tantū in Ecclesia nō aliūde ortum esse,
quā ex neglectu & intermissione conciliorum.

Qui enim fieri potest, vt in lōgum rectē omnia
fiant & disposita sint, vbi nec cura nec animaduert
sio vlla est? In domo quotidie in suam quodque
ordinem digerendum est, conclauia verrenda ex
ornandaque, vix tamen ad breue tēporis spatium
munda domus cōseruari potest, præsertim in qua
hominum magna frę quentia est. In hortis, vbi ar
bores & vites educantur, indies rescindi debet
quod inutile est, & plantari, quod frugiferum est.
Ita quoq; in Ecclesia fieri oportebat, quę in sacris
literis domus & vinea Dei appellatur. Oculus do
mini pinguem facit equū. Pes domini agrum red
dit pingue, sicut vulgò fertur. Vbi paterfamilias

Mat. 20. a
1. Tim. 3. b

sæpe

sæpe & diligenter perlustrat pecus & bona, mul
tò felicius omnia succedunt. Sic sanè in Ecclesia tū
optimè agitur: quando synodi & concilia celebrā
tur mature. Tum enim apparet, vbi Ecclesia præ
senti remedio maximè opus habeat.

Quamobrem postquā Dei beneficio in tan
tū adiuti sumus, vt rursus synodi in vsu esse inci
pant, & nos iam vnam habeamus ac celebremus,
omnes pariter opere & consilio eā prouehere de
bemus, quantum quisque potest: atque idè hac
vice Ecclesiæ defectus volui, & coactus sum fusius
aliquanto cōmemorare, non eo animo, vt quem
quā in inuidiam adducam aut calumnier, sed vt
præbeam occasionem iis, qui vocati sunt, ea de re
deliberādi maiore studio & seueritate. Nō enim
hactenus solitus fui magistratus & Ecclesiæ mini
strorum imperfectionem apud vulgus, quod alio
quin per se satis incitatū est, mouere & reprehē
dere. Nunc verò commodum videbatur, quando
quidem synodus propterea instituta est, vt Eccle
siæ & Ecclesiæ ministrorū defectus emendentur.

Qua de causa viri ac prælati optimi, quicunq;
ad hanc synodum vocati estis & comparuistis, ne
cessitatem & gemitus Ecclesiæ vobiscum perpen
dite, moueat vos tam diuturna Ecclesię desolatio.
Ferte opē, consulite in medium, quò Ecclesia ma
ter nostra dulcissima pristino decori restitatur.
Populum beneuolum fancietis, & recur surum ad
domum Dei videbitis, si eam prius purgaueritis et
excolueritis, si superstitiones varias, abusus & cō
suetudines minus probatas abrogaueritis. Ne ob
secro, superbia, auaritia & propriæ vtilitatis stu
dium

diū affectus vestros vincant. Ne honores & diuitiarū temporariarū plus apud vos valeant, quā honor Dei, Ecclesiæ vtilitas, & animarū salus. Quia in re opus Deo feceritis gratissimū. Nā quicquid Ecclesiæ facitis, Christo, cuius ipsa sponsa est, id factum putate, is cumulatim vobis recompensabit. Quicquid verò Ecclesiæ non facitis, id nec Christo facitis, qui vosea de re accusabit in extremo iudicio, & supplicium de vobis sumet æternum. Idcirco curate, ne reos vos ipsi faciatis iacturæ tot animarum, quas magno & incomparabili pretio redemit, curaque vestræ commisit, requisiturus aliquando à vobis vestri officij rationem.

Matt. 25. d.

1. Pet. 5. d.

Similiter nos quoq; cui ex multitudine sumus, nostrarum partium memores simus, rogemusque Deū, vt sua gratia tale opus benè fortunet, & per spiritum suum corda omnium, qui in hac synodo acturi sunt, eò dirigat, vt animo syncero & cū seueritate quarant emendationē & profectū Ecclesiæ. Omnē quoq; adhibeamus diligentiam, quisq; in se et suis, quò Ecclesia pristinum decus recuperet, & p̄ba mulier mater nostra suauissima ex nostra emendatione gaudiū & voluptatē capiat perēnem.

Quapropter benedicti sint à Deo & sponsa ipsius, quicumque serid operam nauant, vt corrigatur, sicubi Ecclesia vitium contraxit. Contrā verò maledicti sint à Deo & ipsius sp̄sa omnes ij, qui reformationem Ecclesiæ impedire conantur, aut opus istud sanctum & necessarium fraudulentè, infideliter nec syncere agunt. Amē. Hæc itaq; dicta sint de isto Euangelio, quātum ad synodum inseruire potest. Deus Opt. Max. suā largiri dignetur

tur gratiam vt nostris temporibus adhuc superstitites videre queamus diu optatam Ecclesiæ reformationem. Quia de re pariter omnes vnanimis ad Deum cōfugiemus, ex toto affectu eum deprecaturi, &c.

SERMO TERTIVS TEMPORE Synodi dominica Cantate, habitus super Euangelio eiusdem Dominice. Ioan. 16.



Hodierno Euangelio & ipsius explanatione eundem mihi proponam & obseruabo modum, quem in proximo Euangelio à me obseruari vidistis. Nimirum indicabo vobis, cur patres Euangelium istud huic Dominicæ attribuerint, deinde, quis huic Euangelij genuinus sensus sit & intellectus, potest quid vnusquisque ex primariis non solum in synodis, sed apud se ipsum, & in sua Ecclesia ac administratione cōsiderare & instituere debeat, quod ad communis Ecclesiæ & orbis Christiani reformationem vtile sit & conducibile.

Hæc ordine de præsentī Euangelio dicā, etenim horū triū nihil silētio præterire cōmodè possum. Plurimum quidem momenti situm est in historica Euangelij enarratione, idque semper primum ac præcipuum esse debet, sed plura accedūt obiecta. Ab vna parte video diabolū nō cessare, vt quos possit, ab Ecclesia ipsiusque ordinatione auertat, hinc omnes neruos intendendos mihi puto, & velim quidem quantum pro virili possim, libenter laborare, vt hosti tā infesto obsistatur, simplices autem homines eò deducantur, vt discant Ecclesiam ipsiusq; ordinationes maiori habere in pretio.

tio. Ab altera parte mouet me synodus, quæ etiam dū celebratur, mouet me laudabile propositū tot præclarorū virorū cū pietate tū eruditione prædicatorū, qui Ecclesiā restaurare & manu tenere magnoperè cupiūt. Quocircā vrgere & cohortari libenter velim, quò negotium istud tantò succedat expeditius. Ob hanc & non aliam causam tria illa, quorum superius memini, circa hodiernū Euangeliū declarare decreui, sperans nō infragiferū fore, si eo animo, quo ego dico, accipiat.

Et primò quidem non ignoratis, eam mihi antiquam esse consuetudinem, vt plerunque aperiā causam, cur vnumquodque siue canetur siue legatur in Ecclesia, institutū sit, ac ordinatum. Quod eò libentius & diligentius facio, quanto plus animaduerto, multitudinem per alios ab hoc abstractam & alienatam esse. Alius rem eam superuacaneam minimèque necessariam iudicare potest. At ego experior, & Ecclesia magno suo malo experta est, eum qui errare incipit, primū à minimis incipere plerunque, et à minimis in maximos deuolui errores.

Cū superioribus annis cæremoniæ Ecclesiæ rideri & negligi inciperent, nemo suspicabatur sacramenta & Missæ sacrificium, ac ipsam deniq; Ecclesiam in talem contemptum vnquam venturam. Ne ipsi quidem autores huius schismatis, tū in animo habebant tam latè grassari. Verūm diabolus, vbi semel principium consecutus est, non amplius ociatur: vbi serpens infernalis caput immisit, toto corpore deinde facile illabitur. Si persuadere nobis potest, vt alterum pedem extra Ecclesiam

clesiā efferamus, plura certè nobis persuadebit.

Tutissimus itaq; tum erit bonus quisq; & simplex Christianus, si non adduci se patietur ab iis, quæ ab ecclesia traduntur, & diligenter disquirat ac perscrutetur rationes, ob quas vnaquæque res introducta sit. Quod si fecerit serid, nunquam profectò Ecclesiæ ordinationes contemnet, nisi Ecclesiam simul ipsam odisse velit, quemadmodum hæretici ac schismatici à natura consueuerunt, vt nihil sibi placere sinant, quod in Ecclesia antiquū est, quoniam ipsius Ecclesiæ hostes sunt & oppugnatores. Age, animum aduerte nunc, & tribus verbis accipe, quid homo pietati addictus colligere hinc possit, quòd Euangeliū istud hodiernæ Dominicæ assignatum sit in Ecclesia.

Hodierna dominica in medio posita est, inter festum Paschatis & Ascensionis Christi, licet proximior aliquāto sit huic postremo, quàm alteri priori. Verūm enim uerò resurrectio Christi diuturna memoria reperenda est, veluti Paulus ad suum ait ^{2. Tim. 2. b} discipulum: Memor esto dominū Iesum Christū resurrexisse à mortuis &c. Porro ascensio Christi quoque diligenti cura prospicienda est, sicuti Christus multo ante, quàm ascenderet, tale futurum Mariæ Magdalenæ prædicēbat. Vade (inquit) ad fratres meos, & dic eis: Ascēdo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum et Deū vestrum. Quæ omnia eò spectant, ne homo Christianus vnquam obliuioni tradat & memoria ei excidat. Vnde tot beneficia tamque admiranda bona acceperit, quocircā semper mente recolere præteritam passionem & resurrectionem Christi, nec

nec interim tamē obliuisci futurorum, & ad quid vocatus sit, sed continuè ascensionem quoq; præmeditari debet.

Hæc (inquàm) animis nostris obuerfari debēt, quandiu inter vtrumque festum agimus, hoc est, inter iustificationem nostram & glorificationem. Id verò durat per totum tempus iam inde à regeneratione nostra, vel vsque ad vitæ nostræ terminum. Baptismus & regeneratio, nostrum Pascha est & spiritalis resurrectio. Mors autem Ascensio nostra. Nam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, scimus quòd ædificationē ex Deo habemus, domum non manufactam, æter nam in cælis, &c. Quandiu itaque in terris degimus à Baptismo ad mortem vsque, nunquàm nō in memoria habere debemus, vnde bona omnia consecuti, & ad quid vocati simus.

Verùm quomodo hæc ambo simul melius & breuius nobis proponi potuissent, quàm per hodiernum Euangelium? Primò namque vnde tantā bonorum vim habemus? Quis gratia, vita & regeneratione nos impertit? Quis nos facit filios Dei? Quis mundat & lauat nos à peccatis? Quis fidem nobis infundit? Quis nos facit membra spiritalis corporis Christi & Ecclesiæ? Quis meritorum Christi participes nos facit? Quis docet nos rudes & ignorantes? Quis infirmitatem nostram fulcit? Quis consolatur nos in omni tribulatione? Spiritus sanctus. Et vnde spiritum sanctum habemus? *Ioan. 16. b* Ex passione & resurrectione Christi. Expedi (inquit Christus) vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, &c. En hoc pacto

pacto maiores nostri Euangelio isto in nobis memoriam passionis & resurrectionis Christi conseruare voluerunt.

Rogitas nunc, quomodò igitur Euangelium hoc nos admoneat futuræ nostræ glorificationis? Vado (inquit Christus) ad eum, qui misit me. Quæ sanè verba rectissimè accommodari possunt passioni Christi, quā transitum suum patrē vocat. Huic pulchrè concinit id, quod Christus ad Magdalenā loquitur. Ascendo ad patrē meum & patrem vestrū &c. Vult planè, vt posthac oculos, animos, & cogitationes nostras erigamus ad cælestia, vbi Christus est in dextera Dei sedens, omnemq; adhibeamus operam, quòd Christum sequi possimus.

Hac ratione Euangelium istud ad ea, quæ præterita, & ad ea, quæ futura sunt nobis inseruire potest, admonens nos acceptæ iustificationis & futuræ glorificationis. Quod igitur illi aptius tēpus totius anni deligi potuisset, quàm quod est inter duos illa festa Paschatis & Ascensionis? Quis iam adeò cæcus est, qui in hoc Euangelio cernere nequeat? quis tam peruicax & refractarius est, qui inficias ire audeat, Ecclesiæ ordinationes summo studio excogitatas, & proculdubio per Spiritum sanctum traditas esse? Inaudita igitur temeritas sit oportet, si ex propria animi libidine & præsumptione tales ordinationes ab omni iusta causa infringantur abrogenturq; vel etiam simplices ab iis alienentur. Tantum de hoc dictum sit.

Eadem Christi in hoc Euangelio sententia est, quæ fuit proxima Dominica. Volebat nimirum Christus hoc pacto ex animis suorum scandalum



crucis eximere. Videbatur illis, si Christus esset passurus, & potissimum in cruce, & in ea tam ignominiosam mortem appetiturus, quod non solum ipse sibi infamiae notam esset conciliaturus, sed eos quoque damnum irrecuperabile mansurum esset. Haud aliter tum de cruce Christi sentire poterant, quocirca etiam difficillimè percipiebāt, quicquid illis Christus de ea diceret & prædicaret. Duo sunt, quæ hodierno adhuc tēpore crucem nostram grauem nobis, & penè importabilē reddunt. Arbitramur, si multa ferre debeamus, probo id nobis esse & nos rerum nostrarum dispendium non mediocre facere. Aduersus eiusmodi affectus Euangelium istud destinatum est, quod ita intelligi debet, ac si Christus dicere voluisset. Nō sic charissimi filij, non sic de mea cruce conuenit vt sentiatis. Non probrum aut ignominiam, sed honorem inde consequar maximum: nam per passionem & crucem migro ad patrem. Nec ea res vobis damnum aliquod, sed vtilitatem ingentem adferet. Vbi enim à vobis ad crucem cōcessero, paraclētum spiritum sanctum vobis comparabo, qui vos voti cōpotes reddet, & dabit id, quod hactenus in me quæsitis, & nūc veremini, ne per passionē ac mortem meam cogamini amittere. Is consolabitur vos & docebit, mundum quoque & principem eius conuincet iniuriarū & scelerum, quæ in me patrarunt: ita sese geret, vt non solum vos, sed vniuersus orbis honorem meum & gloriam visurus sit, & intellecturus incredulitatem, iniustitiam, iudicium & condemnationē sui principis, &c. Hic fructus ad vos redit ex mea passione, &c.

ne, &c. Sic vult Christus suam passionem & mortem considerari & accipi, quod ad ipsius laudem & ad nostram salutem pertineat. Ita nos quoque nostram crucem æstimare debemus, vt qua laudem maximam consequimur, quoniam transitus est ad patrem, vt quæ adfert nobis vtilitatem incredibilem, quoniam humiles nos facit, & spiritui sancto ac ipsius consolationi habiles & idoneos nos reddit. Hæc præcipua istius Euangelij sententia est & intellectus, ad quem etiam omnia verba directæ sunt. Quomodo autem crux Christi nobis scandalo esse possit, & nostra crux nos grauare, si tali animo eam aspiciamus? Dictū hoc sit de altera parte, quæ ad Euangelij considerationem pertinet. De tertia parte dicere iam nos quoque oportet, quid optimus quisq; procerum, non modò apud alios in communi synodo, sed etiam apud se in propria dioceseo administratione, attamen ad communis Christianæ Reipublice vtilitatem & commodum, ex hoc Euangelio instituere & proponere debeat. Varia hoc loco commemorare possem pro Euangelij huius amplitudine, sed vnicum tantum excutiendum dabo, quod mea quidem sententia omnium præcipuū est, & maximè conducere videtur ad præsentem synodum, nempe, quod Christus in hoc Euangelio occupatissimus sit cū suis Apostolis, quos in futurum tempus ad Euangelij prædicandi munus ordinarat & emittere constituerat, quàm nullam omninò intermittat diligentiam in illis instruendis & ablegandis, & præcipuè, quod ad hoc munus & opus spiritum illis sanctum promittat, eumque

exactè describat depingatque suis operationibus, quas erga Ecclesiam & fideles declaraturus esset docendo, consolando, arguendo & explicando. Omnium (inquàm) bonorum procerum est hoc, fideli mente pertractare tam in communi, quàm priuatim, si modò nomini & officio suo responde re velint, & pro veris pastoribus ac animarū cura-

Thren. 1. a

toribus corā Deo & mūdo haberi cupiāt. Paruuli petūt panē, Viri spectatissimi. Ecclesia eger doctri na & cōsolatione, nec non digna in homines carni addictos animaduersione. Videte ne in vos recidat id quod sequitur: Et non erat qui frāgeret eis.

Defectus hic, proh dolor, iam inualuit. Plurimis in locis atrocissimam famem populus patitur, neminem habent, qui ipsis panem verbi diuini frangat ac distribuat, aut fame interire eos oportet, aut alium quærere cibum, qui tamen lethalis illis est & pestiferus. Quas Deum immortalem dabūt pœnas, qui rei sunt istius mali? Quo patrocinio vnquàm causam suam tutari poterunt coram tribunali Dei, si filios ipsius, quos magno emit, sanguine scilicet preciosissimo sui proprii filij, quosque illorum curæ diligentissimè commisit, fame perire sinant? Aut qui se cōtinere Ecclesia potest, vt non clamorē ad sydera vsq; tollat, crudelissimos istos animarum trucidatores accusans?

Ibidem. e

Simon Ioannis (inquit Christus) amas me? Pisce oues meas. Ter Petro oues suas cōmendabat, ter eum de amore rogabat. Nam qui Christum non ex intimis affectibus diligit, nunquàm rectè Christi oues curabit. Fili hominis (inquit Deus ad Ezechielem) speculatorem dedi te Domui Israël:

Si me

Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua: ipse impius in iniquitate morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Væ mihi (inquit Paulus) si non euangelizauero, si volens hoc ago, mercedem habeo: si autē inuitus, dispensatio mihi credita est. Hoc (inquàm) dicebat Paulus, cum in optimo cursu sui muneris esset.

1. Cor. 9. 8

Act. 20. 6

Postquàm verò iam metam propemodum & finem suæ vitæ ac dispensationis esset consecutus, testabatur & Deum & homines, se mundum esse à sanguine omnium, quoniam conscientia illi dictitabat, ipsum nihil prætermisisse, quod munus ipsius postulasset. Idem quoque Moyses factitabat antequàm è viuis excederet. Christus in terris nihil tam gnauius executus est, quàm munus prædicandi, nec illi res vlla tantoperè cordi fuit. Meus (inquit) cibus est, vt faciam voluntatem patris mei. Quapropter non in vna perpetuò se de morabatur, sed huc illuc migrabat, nec in vno se detineri loco patiebatur. Aliis etiam ciuitatibus oportet me euangelizare (inquit) quia idem missus sum. Idque vnice in extremis, priusquàm mundum relinqueret, gloriabatur. Pater (inquit) clarificaui te super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam, manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Et paulò post: Quos dedisti mihi, ego custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur.

Deut. 30. 6

Ioan. 4. 8

Luc. 4. 2

Ioan. 17. 6

O felicem & piam iactantiam! O beatos illos omnes, qui tali conscientia discedunt! Benedicti

(inquietabat olim Tobias) O Ierusalem, qui ædificant te, & qui gaudent super pace tua. Quod quavis de terrestri Ierusalem dictum sit, de spirituali tamen Ierusalém, hoc est, de sancta Christiana Rep. sub figura prænotata intelligere debemus.

At pauci sunt, qui exempla ista imitentur. Errauerunt (ait Deus in Ezechiele) greges mei in cunctis montibus, & non erat qui requireret, & (eandem vocem iterans inquit) nemo erat, qui requireret. Omnes quæ sua sunt (ait Paulus) quærunt. Quærunt non Dei honorem, nõ animarum salutem, non communis Ecclesiæ, & Christiani orbis utilitatem, sed quæ sua sunt. Verbum pascere, nemo rectè intelligere vult. Mallemus id semper ad dominium transferte, quàm ad ministerium, quamuis nullum sit dubium, nec quisquàm negare potest, quin pastor quoddam etiam dominium & potestatem in suas oves habeat, oportet enim nonnunquam eum suam autoritatem ostendere, non solum ut lupum profliget & arceat, sed etiam ut virgis & baculis oves suas cogat & contineat, plura tamen sunt quæ in pastore desiderantur.

Inveniuntur quidem, qui gubernandi modum optimè tenent, seduld faciunt omnia, quæ ex potestate fieri debent, oves suas in officio seruât, diligenter cauent, ne lupus in eas irrumpat & impetû faciat, sed pascere, quod præcipuû erat, negligitur. Quorsum enim atinet, oves in ouili vnâ conseruari, & à lupis vndiq; defendi, si fame deindè pereant? Quinimo quo pacto lupi & heretici melius abigi possunt, quàm verbo Dei? Nam ferro illis profectò non semper resisti potest, clam enim irrepunt.

repunt. Et vbi semel venenum suum ponunt, id instar cancri latius serpit & absumit.

2. Tim. 2. e

Quamobrem non solû gubernatione opus est, verum etiam pastu, non defensione tantum cõtra lupos, sed medela quoq; si quis damnum accepit. Quid autem famè sedare melius potest, morboq; nostro mederi, quàm verbum Dei? Domine (inquit Petrus fame spirituali laborans) ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et alius: neq; herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus domine sermo. Atq; istud est, super quo Christus suos discipulos tam instructos reddidit. Istud est, super quo illis ac Ecclesiæ suæ spem certissimam dedit, se missurum & daturum eis Spiritum sanctum, qui edoctrurus esset eos omnem veritatem, nec absque consolatione vnquam relicturus.

Ioan. 6. g

Sap. 16. b

Ioan. 14. c

Istud etiam est, quod vnusquisque Christianorum procerum præcipuè, & absque mora cogitare debet. Nulla re Ecclesia minus carere potest, quàm pastoralis & prædicationis officio, quo tamen nihil contemptius iam apud homines. At aliis in rebus omnibus maior cura maiorque diligentia adhibetur, ita ut quis non immerito admirari possit, vnde tam execrabilis negligentia proueniat? quid Ecclesiæ proceres tandem cogitent? Quod si vineam quis habet, vineatorem quærît, qui eam colere possit, nec dubitat augere mercedem, si eam colat diligenter. Si quis sibi vestem nouâ parari vult, is de sartore circumspicit, qui eam possit concinnè & artificiosè parare, &c. Et ut crassius exemplû proferâ. Si quis gregem porcorum habeat, nemini eum

concredit, nisi illum sciat gregis curâ gerere posse. Quot verò inueniuntur Ecclesiastici pastores, qui aliquandò viginti, triginta, quinquaginta, centum, mille animas curandas habent, nec tamè tantum solliciti sunt, quomodo illis cibo spirituali prospectum sit, quantum operæ & laboris impendunt in vineis colendis, domibus extruendis, vestibus parandis, & pecoribus alendis?

Verbis quidem nonnunquam animi nostri testamur dolorem ita volentes nos excusare, quòd magna personarum sit inopia, quòd nemo aliquid operæ conferre velit, & quòd iuuentus Ecclesiastica tam in collegiis, quàm monasteriis nostro seculo à studiis abhorreat, præsertim theologico, &c. Quod sanè verissimum est, personarum laboratur penuria, hoc videt & nouit vniuersus mūdus. Sed quorum id culpa sit? Eorū haud dubiè, qui primò omnia studia collabi patiuntur, secundò tot præclara ingenia & dociles pueros corrumpi sinunt, & apud quos eruditus nullus emergere potest, aut prærogatiuam aliquam habet, & qui nondum etià aduertunt, vt studia restaurentur manuq; teneantur, pueri verò ad ea adducantur, & doctis meritè honores ac stipendia præbeantur. Horum (inquàm) culpa sit, quòd perentibus panem pueris nemo sit, qui frangat ac distribuat.

Thre. 1. d

*Extra de
Magistris
lib. 5.*

Ius nostrum canonicū vult ac præcipit, vt præter generalia studia in singulis collegiis etiam & monasteriis magister habeatur, qui clericis ac aliis prælegat. Clericis habetur in textu, idque primò. Cathedralis autem seu metropolis Ecclesia doctorem habere debet, qui sacerdotibus sacram

pagi

paginam interpreteretur. Et hîc sacerdotes primò memorantur. Sancitum præterea est, vt tali doctori præbèda assignetur. Atq; ita antiquitus obseruatum est, quòd vestigia adhuc testantur, testatur id ipsum nomen scholastici, qualis est in singulis collegiis, testatur emancipatio, quòd à scholastico quis se redimere debeat. Hoc (inquàm) euidēs argumentū est, iuniores canonicos olim sub scholastico fuisse nō disciplinæ rātum, sed studij quoq; gratia. Iam verò ex nimia & detestanda negligentia prælatorū, qui ab hinc multis annis in Ecclesia fuere, eò peruentum est, vt non solum magistri nulli, ex quibus iuniores clerici suas artes perdiscere, non solum doctores nulli habeantur, ex quibus sacerdotes Theologiam suam audire possint, sed scholasticus quoq; nihil præter nomen sine re obtineat. Primum semper est, vt quis sese ab iis redimat, tunc iunioribus concessum est otium, & quandoque per omnem vitam sine omni scientia permanere.

Quid igitur mirum, si tanta doctorū virorum inopia sit? Nemo nascitur artifex, nec est, quòd in cælum suspiciamus expectemúsq; Christum nos omnia per spiritum suum vno momento docturum. Minimè gentium. Studium, diligentia, & labor nobis eruditionem parere debent, Dei tamen accedente gratia. Hoc verum medium est, per quod Deus scientiam largitur. Qui igitur nunc temporis potest, & penes quem facultas est, nec tamen omnem adhibet diligentiam, vt reformetur studia & iuuentus ad ea assuefiat, quantum quidem in ipso est, iis coram Deo reus age-

m 5

tur omnium eorum qui propter eiusmodi defectum impediti sunt. Istud vnum est.

Secundò rei sunt talis interitionis animarum omnes ij, qui in Ecclesia sunt, & Ecclesiæ fructibus aluntur, cū nō solū ingenio & natura, verū etiam singulari gratia ad bonas literas præditi sint, tamen malunt in peccatis & otio vitam transigere, quàm moribus & literis bonis imbui, malunt equos & canes tractare, quàm libros, malunt mundo, quàm Ecclesiæ seruire, at interim nutriri volunt Ecclesiæ bonis &c. Hi omnes rei sunt perditionis tot animarū. Quocirca Ezechiel æternum promittit supplicium illis, qui lac & lanam ab ouibus capiunt, oues verò famelicas relinquunt.

Munus & status noster scientiam & eruditionem postulat. Non enim vt otium agamus in Ecclesiam vocati sumus, sed vt fructum afferamus (inquit Christus.) Nec in solis caremoniis acta transacta omnia, sed vt populo doctrina & admonitionibus præsimus. Cuius rei indicia in sacris literis varia habemus. In lege Moyse gestabat summus Pontifex in suis vestimentis & in pectore duo decim lapides pretiosos, quibus insculpta erāt nomina duodecim tribuum Israelitici populi, quos significabatur, quòd sacerdos vniuersam populū multitudinem animo cōplecti, & semper ob oculos habere deberet, omniq; tempore pro ea curā gerere. In rationali, quod etiam ex ornamentis sacerdotalibus vnum erat, scriptum erat: Doctrina & veritas. ad indicādum, quòd sacerdos non ignorare deberet veritatē verbi diuini. Deorsum ad pedes tunicæ sacerdotalis aurea tintinnabula

& mala

& mala punicæ appensa erant, ad ostendendum, quòd sacerdos sono prædicationis & odore boni vestimenti in Ecclesia versari deberet.

In arca Dei semper erāt duo vectes, quibus portabatur, ne si quando mouenda erat, immittere tū demū necesse esset, ad innuendum videlicet, quòd sacerdotes, qui arcam Christum, in mundum portare debent, parati esse cogantur perpetuò, vt vni cuique, qui modò petit, suæ fidei rationem reddant, sicut Petrus ait, & non discant tum primum, quando rogantur. Moyses & Aaron nunquam discedebant à tabernaculo Dei, eam proculdubiò ob causam, quòd primò discerent ac sciscitarentur à Deo, quod postea populo proponere possent. Dauid prius accipiebat donum Prophetiæ, quàm ad Regnum veniret. Ieremiæ Deus dedit verba in ore, antequam inciperet euellere malum, & plantare bonum. Vnus ex Seraphim Esaiæ mundabat labia calculo, quem forcipe tulerat de altari, priusquam ad prædicandum eum emitteret. Salomon statim ab initio sui regni sapientiam à Deo flagitabat, quo rectè administrare regnum posset. Christus in templo inter legitimos inueniri prius volebat, eosque interrogare & audire, quàm prædicandi munus auspiceretur, nec suos ad prædicandum à se dimittebat, donec benè eos instituisset. Intellectum illis aperiebat, vt intelligerent scripturas antequam ad eos diceret: Euntes docete omnes, gentes, &c. Sic etiam cū populū pasceret in deserto, frangebatur primò quinque panes, ac tum demum porrigebatur discipulis, vt distribuere eos. Paulus



1. Tim. 4. d lus vult suum Timotheum omninò attendere le-
ctioni. Omnia ista exempla demonstrat officium
nostrum sacerdotale exigere scientiam & intelle-
ctum scripturarum. In Malachia expresse habetur
Malac. 2. b à sacerdotibus legem requirendam esse.

Atque hæc omnia in nostris decretalibus con-
prehensa sunt. Illiteratos non esse promouendos
habemus distinct. 36. Literis enim carens sacris
non potest aptus esse officiis, & ita decretum est in
Dist. 38. consilio Gágrensi. Ad hæc Papa Leo dicit, inscitiam
in sacerdote nec excusatione nec venia dignam esse.

Quamobrem nemini, cuiuscunq; etiam condi-
tionis aut dignitatis sit, in Ecclesia otiosi concessum
est, beneficium datur propter officium. Quod
verò nostrum officium sit, antè dictum est. Porro
primariarum partium est instare, vrgere & im-
pellere. Nec quemquam pudere debet literarum
& studij, de quocunq; natum genere. Artes & vir-
tutes nobilitati nihil adferunt detrimenti, quini-
mò vera nobilitatis ornamenta, sunt & insignia.
Qui nobilitatem suam artibus, virtutibus & præ-
claris factis non melius potest probare & sibi asse-
rere, haud magnæ apud viros prudentes existima-
tionis est. Hic itaque videat vnusquisq;, quomo-
do talentum gratiam à Deo sibi concreditam vsur-
pet, num in terram defodiat, an vsurariam faciat,
statim animaduertet quid sperandum sibi quidue
metuendum fuerit. Atque hoc alterum est, quod
hac in re expendi debet.

Sed vnum adhuc adiciendum est, quod obser-
uari debebat, vt ij qui literis gnauiter incumbunt,
& qui eruditionem assecuti sunt aut assecuturi, in
Eccle

Ecclesia quoq; meritos honores & vitæ necessa-
ria habeant. Qui in re hætenus non parum ne-
glectum est. Nò deessent Marones, si essent Mæ-
cenates. Inuenirentur adhuc, quos studij non pi-
geret, nec laborem in Ecclesia detrectarent, nisi
tanta hominum esset ingratitude. Aduersarij no-
stri hac in parte nos longè superant, qui nullis par-
cunt sumptibus, vt saltem viros doctos habeant.
Nos tam humaniter viros doctos tractamus, vt fe-
rè nullus sit, qui studiorum amore amplius tenea-
tur. Quod pastoribus, verbi diuini præconibus, do-
ctoribus, magistris qui legunt, aliisque viris eru-
ditis dandum est, id nos totos perdit, & ad extre-
mam inopiam redigit, at aliis in rebus omnibus
plus æquo liberales, ne dicam profusi sumus. Quid
igitur mirum, si omnes æquè laborem fugiunt?
Quis suo stipendio militet? Quis laboret in vi-
nea, si non concessum esset sibi de vuis comede-
re, &c. *1. Cor. 9. a*

Mercenarius dignus est mercede sua, inquit *Matt. 10. b*
Christus. Quin Deus in veteri testamèto noluit, *Deut. 25. a*
vt boui trituranti os obturaretur, quo minus frui
posset fructibus, quos ipse excutere cogebatur. In
hoc iam proceres optimi animos vestros intendi-
te, & omnes, qui potestis aut ratione officij tene-
mini, in medium consulite. Facite ne affectus ve-
stros auaritia expugnet & vincat, ne proprii com-
modi studium vobis ansam præbeat, quò Ecclesia
bonis pastoribus, & doctis concionatoribus orba-
ta esse cogatur. In hos si Ecclesiæ bona conferun-
tur, optimè collata sunt, & in hunc vsum potissi-
mum data sunt, hoc spectat ad honorem Dei, ad
Eccle



Ecclesiæ vtilitatem & ad animarum salutem.

Ad hanc rem hodiernum Euangelium cuique Christiano primati occasionem præbere deberet in eo, quòd docet, quãta Christus diligentia suos Apostolos tanquam futuros pastores vniuersæ Christianæ multitudinis instruxerit, & præterea quibus verbis vsus sit, eisque Spiritum sanctum calitus promiserit ac dederit, ne in Ecclesia saltem fideles pastores desiderari possint. Quod & ego hoc loco indicare volui bono animo, postquam occasionem mihi dedit synodus nostra, in qua nunc alioquin de talibus rebus agitur. Spero quoque sapientem nullum hoc meum factum in malam partem interpretaturum.

Sum etenim cum aliis in communi Ecclesiæ nauis, velim equidem libenter, vt nauis in hac grandi tempestate sine damno in terram subduceretur. Si viribus præstare nihil possum & auxiliari, concessum tamen mihi & cuius est, iis qui ad remos sedent ac laborant acclamare, vt omnes neruos intendât, postquam penes illos solos auxiliandi facultas est, non tamen hoc conor, vt quẽquam doceam, sed vt optimos proceres cohorter, quòd id quod iam pridem agunt, maiore studio agant & ex animo. Quamquam enim equus currens motione opus non habeat, celerius tamen progreditur, si calcar interdum addatur. Noui quosdam iam dudum in cursu esse, video aliquos tanta cum seueritate rem agere, vt mihi nõ solum gaudium, sed spem præbeat maximam fore, vt alij aut sequi cogantur, aut coram Deo & mundo in odium & ignominiam perpetuam sint venturi.

Deus

Deus Opt. Max. cõfirmer pium animum, quem aliquibus pridem indidit, & suam gratiam largiatur, vt & alij iisdem vestigiis ingrediantur, idque totum vt fiat in ipsius honorem, necnon ad vtilitatem & emendationem suæ sanctissimæ Christianæ Ecclesiæ. Nos verò pro nostra parte hoc ipsum iuuabimus, in cõmuni, fundendo ad Deum preces ardētissimas. Et tũ ea, quæ extrinsecus instituitur, prosperiorẽ successum habere possunt.

Quamobrem rogabimus nũc & omni tempore pro omnibus iis, penes quos summa potestas in Ecclesia, quique eam administrant, & ei præfunt, vt eis Deus spiritum suum det & cõseruet, per quem Ecclesiam collapsam restaurare possint, & illis cordi sit tale opus, quòd ipsius nomen sanctissimum vbique & apud omnes Christianos perpetuò colatur ac prædicetur. Amen

F I N I S.

A C T. XX.

Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

D E V T. XXXII.

Gens absque consilio est, & sine prudentia. Utinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.



LUGDUNI,
EXCVDEBAT
PHILIBERTVS
ROLLETIVS.





